
OFFICIA
PROPRIA
SANCTORVM
S. P. N. BENEDICTI
RECITANDA

Ab omnibus Cassinensibus utriusque sexûs.

Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis sub die 24. Februarij, 1680.



CALENDARIVM
Officiorum addendorum.

JANUARII.

Die 12. Commemoratio S. Benedicti Abbatis in Anglia.
23. S. Ildephonsi Episcopi Confessoris, duplex.
30. S. Adelelmi Abbatis, duplex.

FEBRUARII.

2. S. Laurentij Episcopi Confessoris, duplex.
18. S. Helladij Episcopi Confessoris, duplex.
27. S. Leandri Episcopi Confessoris Doctoris, duplex.

MARTII.

1. S. Rudesindi Episcopi Confessoris, duplex.
2. S. Suitberti Episcopi Confessoris, duplex.
3. S. Chunegundis Virg. duplex.
8. S. Veremundi Abbatis, duplex.
11. S. Vincentij Abbatis Martyris, dupl. & commemoratio S. Eulogij Martyris.
13. S. Ramiri & sociorum Martyrum, duplex.

A APRI-

Pro parte dextera Chori.

APRILIS.

4. S. Isidori Episcopi Confessoris Doctoris, duplex.
16. S. Turibij Episcopi Confess. duplex. (hac die Martyrol.)
21. S. Anselmi Episcopi Confessoris Doctoris, duplex.
24. S. Melliti Episcopi Confessoris, duplex.

MAII.

25. S. Gennadij Episcopi Confessoris, duplex.
26. S. Augustini Episcopi Confessoris, duplex.
27. S. Bedæ Confessoris Doctoris, duplex.

JUNII.

1. S. Enneconis Abbatis, duplex.
5. S. Bonifacij Episcopi Martyris, duplex.
14. S. Felicis Monachi martyris, duplex.
20. S. Florentinæ, seu Florentiæ Virginis, commemoratio.
23. S. Ediltrudis Virginis, commemoratio.

JULII.

7. S. Vuilelbaldi Episcopi Confessoris, semiduplex.
8. S. Chiliani Episcopi Martyris, semiduplex.

AUGUSTI.

6. S. Stephani & sociorum, Mart. duplex.

SEPTEMBRIS.

17. S. Columbæ V. M. dupl. & comm. S. Editæ. Virg.
19. SS. Ianuarij & sociorum Mart. & comm. S. Theodori. Episcopi Confessoris.
24. S Gerardi Episcopi Martyris.

OCTOBRIS.

5. SS. Placidi & socior. Mm. & com. S Athiliani Ep. Conf.
10. S. Paulini Episcopi Confessoris, semiduplex.
15. S. Teresiæ Virg. & commem. S. Brunonis Episc. Martyr. & S. Theclæ Virginis.

NOVEMBRIS.

10. S. Iusti Episcopi Confessoris, semiduplex.
17. S. Gertrudis Virginis, duplex.

DECEMBRIS.

14. S. Dominici Abbatis Silensis, duplex.

OFFI-

OFFICIA SANCTORVM.

DIE XII. IANVARII.

De Oct. Epiphaniæ, cum commem. S. Benedicti Abbatis in Anglia.

ORATIO.

DEus, cuius virtute Beatus Benedictus Confessor tuus contra mundi illecebras viriliter decertauit in terris; concedè propitius, ut eius exempla sectantes, cum ipso coronari mereamur in cælis. Per Dominum. &c.

DIE XXIII. IANVARII.

In festo S. ILDEPHONSI Episcopi Confessoris, duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

ORATIO.

DEus, qui per gloriosissimam Filij tui Matrem beatum Ildephonsum Confessorem tuum atq; Pontificem, misso de thesauris cœlestibus munere decorasti: concede propitius; ut per eius preces & merita munera capiamus æterna. Per eundem Dñum.

In primo Nocturno Lect. Fidelis sermo. *de Communi Confessoris Pontificis.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

ILdephonsus natione Hispanus, Toleti nobilissimis Stephano & Lucia parentibꝰ ortus, omniq; cura nutritus, liberalibus disciplinis instructus est. Primùm habuit præceptorem Eugenium Toletanum Antistitem, à quo ob præclaram indolem, Hispalim, ad Isidorum, magna tũc eruditione pollentem, missus est. Apud quem duodecim annis commoratus, tandem fruge bona, doctrinâq; sanâ imbutus, Toletum remeauit ad Eugenium. à quo propter eximias virtutes peritiamq; non vulgarem, Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus effectus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi monasterio ordinis S. Benedicti Monasticum institutum amplexus est; frustra paren-

tibus, precibus & minis omnia tentantib9, ut eum à sancto proposito reuocarent.

℞ Inueni Dauid.

Lectio vj.

MOnachi non multò pòst in defuncti Abbatis locum eum subrogârunt: suspiciebant siquidem in eo (præter virtutes reliquas) æquitatem, morum facilitatem, prudentiam, & admirabilem sanctitatem. Tantus itaque fulgor, tanta veræ pietatis lux (quod ipse timebat) latere non potuit. Eugenio nãque vita functo, Cleri, Senatûs, totiusq; populi decreto, Toletan9 Archiepiscop9 elect9 est. In qua dignitate, quãtùm populo sibi cõmisso, verbo & exemplo profuerit, quæ miracula ediderit, quàm multis fuerit nominibus de Virgine Matre benemeritus, nõ potest paucis explicari. Cænobium virginum in Deilfensi Villula ædificauit, ac magnis muneribus auxit. Hæreticos quosdam, qui in Hispania hæresim Eluidianam, tollentem perpetuam MARIæ Deigenitricis Virginitatem, disseminabant, doctissimè cõfutauit, & ab Hispania ejecit. Eius autem hac de re disputàtio, libro, quem scripsit de Beatæ MARIæ Virginitate, continetur: ipsa, miraculo serui sui zelum confirmante, Cùm enim Ildephonsus ad preces matutinas Expectationis Beatæ MARIæ in Ecclesiam nocte descenderet; comites eius in Ecclesiæ limine, fulgore quodam repentino deterriti retrocesserunt: ille verò intrepidus ad aram progressus, Virginem ipsam vidit, & adorauit, ab eademque vestem, quâ in sacrificijs uteretur, accepit,

℞. Posui:

Lectio vij.

CVm etiam dies Leocadiæ festus ageretur, & Clerus frequensq; populus conuenisset, Ildephonsus ad sepulchrũ Virginis accedens, flexis genibus, orabat: & ecce reserato repentè sarcophago Leocadia sanctissima prodijt: videntibusq; cunctis & audientibus, Ildephonsi merita de Virgine MARIA commendauit, dicens: O Ildephonse, per te viuit Domina mea, quæ cæli culmina tenet. Illa verò recedẽte, Ildephonsus, arrepto Reccesuinthi, qui fortè tunc aderat, gladiolo, velaminis partem, quo caput

Leo-

Leocadiæ tegebatur, resecuit, eamq́; cum regio simul cultro, celebri pompa, in sacrarium intulit; ubi usq́; hodie seruatur. ℞. Iste est.

Lectio viij.

SCripsit multa luculẽto sermone; sed varijs molestiarum occupationibus impeditus, aliqua imperfecta reliquit. Obijt tandem feliciter, cùm sedisset in Episcopatu annos nouem, menses duos; sepultusq́; est in Basilica Leocadiæ circa annum Domini sexcentesimum sexagesimum septimum, Reccesuintho in Hispania regnante. Cuius corpus in generali à Saracenis Hispaniarum occupatione, in ciuitatem Zamorẽsem translatum est, & in Ecclesia Beati Petri honorificè quiescens, magna illius populi religione colitur.

℞. Iustum deduxit.

In iij. Noct. Homil. Vos estis sal terræ.

℞. x. In medio.

Missa Doct. sine Credo.

Lectio xij. de S. Emerentiana, comm. eius in Laud. & Missa.

In secundis Vesperis commem. S. Timothei Episc. & Martyr.

DIE XXX. IANVARII.

In festo S. ADELELMI Abbatis, duplex.

Omnia de Communi Abbatum, præter ea, quæ hic sunt propria. ORATIO.

DEus, qui nos Beati Adelelmi Abbatis præclaris virtutum exemplis erudiri voluisti: concede propitius, ut quod te donante, deuotè promisimus, eiusdem patrocinio fideliter adimplere valeamus. Per Dominum.

Comm. præced. S. Franc. Salesij.

In 1. Noctur. Lect. Iustus si morte. *de comm. Conf. non Pontificis.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

ADelelmus Lugduni, quod est oppidum Galliæ, illustri Christianaq́; ortus familia, puer litterarum studijs operam dedit; adolescens verò coactus est à parentibus militiam sectari; in qua ita se gessit, ut expers per omnia illorum vitiorum fuerit, quibus illud hominum genus immergi solet. Parentibus defunctis, cùm aliquando illud ex Euangelio audisset: Si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me; patrimonio pauperibus distributo, vile sibi indumentum induens, ac mendicans,

Romam properauit, ubi cùm ferè biennium orationibus, ieiunijs, carnisq; afflictionib9, intendisset, tandem ad Robertum Casæ DEI Abbatem, quem ante Romanam profectionem inuiserat, reuertitur.

℟. Honestum fecit.

Lectio vj.

POst mutuam congratulationem, monasticam ibi vitam professus est, in qua multos languoros signo Crucis, & DEI gratiâ curauit. Deuolutis pòst aliquot annis, inuitus Casæ DEI Abbas creatus, virtutum omnium specimen exhibuit; sed quia diuinarum rerum contemplationi jam per negotia vacare, ut anteà, non poterat, ut Christo pleniùs deseruiret, præsulatu se abdicauit. Eius verò fama iam longè lateque diffusa, omnes in admirationem sui verterat, cum Angliæ Regina lethargum patiens, speq; salutis prorsus amissa, nuntios ad eum misit: ut vel micam panis, cui ipse benedixisset, transmitteret, ad medelam.

℟. Amauit eum.

Lectio vij.

REnuit initio Vir Sanctus: sed tandem precibus victus, frumenti, mensuram misit, quo Regina primùm, mox quotquot per insulam morbo tenebantur, conualuerunt. Accitus post hæc litteris Constantiæ Reginæ Alphonsi Sexti uxoris, in Hispaniam venit; ubi à Rege simul & Regina perhumanè susceptus, & habitus, quantæ esset virtutis, miraculo comprobauit. Nam per vada Tagi propè Toletum: cum Regius esset exercitus fortè traijciendus, nullis vel qui equis valentibus vehebantur, fluminis æstui ripas, ex solutis niuibus, occupantis satis fidentibus, Adelelmus debili asello insidens, pronuntiato ex psalmis oraculo: hi in curribus & hi in equis: nos autem in Nomine Domini; unda rũ globos cum omnium stupore tranauit.

℟. Iste homo.

Lectio viij.

CEterùm cùm copiam faceret Adelelmo deligendi sibi locum ad habitandũ, quem maximè vellet; sacellũ S. Ioannis Euangelistæ, quod in suburbio Burgorum Vrbis Rex ipse construxerat, petijt, & reliquo vitæ tempore peregrinis, & pauperibus ministrãs

nistrans frequentauit; ubi feliciter migrauit ad Dominũ, atq; ibidem insigne monumẽtum eius reliquias continẽs, ac nomen referens conspicitur. Claruit S. Adelelmus in Hispania, Alphonso Sexto, & Constantia secunda eius uxore, Ludouici Francorum Regis filiâ regnantibus.

℞. Desiderium animæ.

In tertio Noct. Homil. in Euangel. Ecce nos reliquimus omnia. *Missa de Communi Abbátum.* Os iusti.

In ij. Vesperis à Capitulo de Sancto Petro Nolasco, commem. præcedent.

DIE II. FFBRVARII.

In festo S. LAVRENTII Episc. & Confes. dupl. juxtà Martyrol. Rom.

Omnia de Comm. Conf. Pont. Oratio. Da quæsumus. *de eodem Communi.*

In primo Noctur. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio jv.

LAurentius unus fuit ex ijs Monachis sanctissimis, quos à Beato Gregorio Divus Augustinus Archiepiscopus Cantuariensis ad prædicandũ Christi Euangelium in Anglia sodales accepit, quem etiam ipse, adhuc viuens sibi in Episcopatu successorem ordinauit, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus vacillaret, imitatus in hoc Apostolorum Principem, qui Clementem sibi adiutorẽ simul, & successorem consecrasse perhibetur. Laurentius igitur Archiepiscopatûs gradu potitus strenuè curauit, nouæ Ecclesiæ iacta in Anglia fundamenta ad profectum debiti culminis verbo & exemplo prouehere, adeoq; ardenter in eam curam incubuit, ut Scotos etiam, & Britannos conatus sit ad Ecclesiæ Catholicæ conformitatem reducere, qui circa Paschæ celebrationem, & similia ab eius consuetudine deuiauerãt.

℞. Inueni Dauid.

Lectio vj.

CVm autem vitâ functus esset Ethilbertus Angliæ Rex, qui ad Augustini prædicationem primus Christo nomen dederat, eiq; successisset filius, tali patre prorsus indignus, quippe qui non tan-

tùm

tùm fidem Christi auersabatur, quin etiam inaudita gẽtibus libidine, iuxta Apostoli dictum se polluerat, accipiens Nouercam in uxorem, genti suæ aditum patefecit ad pristinum, pessimumq; viuendi morem reuertendi. Accessit huic ex vicino malo nõ contemnendum incrementum: ex humanis enim sublato Saxonum Orientaliũ Rege Seberecto, regnoq; eius à tribus filijs, qui in infidelitate perseuerauerant, occupato, mox Idolis, cæperunt palàm seruire, ac abiurata Christi fide, passim populi ad falsam religionem reuersi sunt.

℟. Posui adiutorium,

Lectio vij.

EO turbine in fugam versus Mellitus Saxonum Episcopus, ad Laurentium se contulit, accitoq; Iusto Coepiscopo, quid facto opus esset sedulò consulentes, in patriã redire decreuerunt, ut ibi Domino liberiùs deseruirẽt, qui inter rebelles fidei Barbaros diutiùs commorantes, sterili, ut sibi videbatur, otio indulgebant. Priores discessêre Iustus & Mellitus; quos insẽquuturus Laurentio, stratum sibi Angliam relicturo, ea nocte in Ecclesia Sanctorũ Apostolorum Petri & Pauli parari, mandauit; in quo post multas preces, & lacrymas ad Deum pro Ecclesiæ suæ statu deuotissimè fusas, somno oppressus quieuit.

℟. Iste est qui ante.

Lectio viij.

SEd ecce quiescente Archiepiscopo, adest Apostolorum princeps Petrus, qui eum ad multam noctem flagellis acerbissimè cædens, Apostolica auctoritate sciscitabatur, cur gregem sibi ab ipso creditum desereret, vel cui pastori oues in medio luporum positas fugiens ipse relinqueret; En mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis mihi à Christo in sui amoris erga me signum commissis verbera, carceres, afflictiones, mortem deniq; ipsam, & mortem quidem crucis cum ipso pertuli. Hisce verberibus, & exhortationibus animatus Laurentius, manè Regem adit, reiectoq; vestimento, plagarum ei stigmata ostendit, facinorisq; auctorem quærenti, rem omnem ut se habebat, ordine exponit. Rex primùm vehementer obstupuit; inde in se reuersus,

ſus, cultu Idolorum abiecto, illegitimam uxorem repulit, & fide Chriſti ſuſcepta, eam deinceps mirificè propagauit, quo ſuperſtite, naturæ concedens Laurentius, regnũ cæleſte conſcendit quarto Nonas Februarij.

℟. Iuſtum deduxit.

In iij. Noctur. Homil. in Euang. Homo peregrè. *de Communi Conf. Pont.*

Lectio xij. de S. Blaſio, comm. eius in Laud. & Miſſa. Statuit. *de Communi Confeſſorũ Pontificis.*

DIE XVII. FEBRVARII.

S. HELLADII Epiſcopi & Confeſſoris. Duplex.

ORATIO.

DEus, qui populo æternæ ſalutis Beatum Helladiũ miniſtrum conceſſiſti: præſta quæſumus; ut qui executor mandatorum tuorum extitit in terris, interceſſor noſter ſemper eſſe dignetur in cælis. Per Dñum noſtrum.

Et fit comm: S. Simeonis Epiſcopi & Martyr.

In primo Noct. Lect. Fidelis ſermo.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Ildephõſi Epiſcopi.

Lectio v.

HElladius Epiſcopus poſt Auraſium, ſedis eius adeptus eſt locum. Hic, cùm regiæ aulæ illuſtriſſimus, publicarumq; rector exiſteret rerum, ſub ſæculari habitu votum Monachi explebat, & opus. Nam ad Monaſterium meum (illud Agalienſe dico) cuius me ſuſceptio Monachũ tenuit, quod munere Dei, perenniſq; ac patentis ſanctitatis decore, & inopinabile cũctis, & palàm eſt totis: cùm ſæpè diſcurſantium negotiorum ductus itinere perueniret, remotâ clientum, ſæculariſq; pompâ decoris, adeò Monachorum peculiaritatibus inhærebat, ut turmis iũctus eorum, ſtipularum faſciculos ad clibanum deportaret. ℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

CVm quo inter decorem, in ſolẽtiamq; ſæculi, ſolitudinis & amaret, & ſectaretur arcana, celeri fuga, relictis omnibus, quæ eſſe nouerat mundi, adijt ſanctum Monaſterium, quod frequentauerat voto: venitq; permanſurus optati voti uſu. Ibi factus

ctus Monachus pariter meritis, & studijs sanctis vitam Monachorum debitè rexit: & statum Monasterij totius rei communis diuitijs cumulauit. ℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

EX hoc fessis penè senio artubus, ad Pontificatûs apicem euocatur, & quia vocaretur, victus pariter, & inuitus illic maiorum virtutum exempla, quam Monachus dedit: quia statum mundi, quẽ contempsit virtute magna, perhibetur rexisse discretione. Miserationes, eleemosynarumq; copias tam largiter egenis contulisse probatur, ac si illius stomacho putares inopum & artus pendere, & viscera confoueri.

℟. Iste est.

Lectio viij.

SCribere renuit: quia quod scribendum erat quotidiana operationis pagina demõstrauit. Me ad Monasterium rediens memoratum, ultimo uitæ tempore Leuitam fecit. Senex obijt: decem, & octo annos sacrum regimen tenuit, temporibus Sisibuti, Suntillani, & exordijs Sisenandi Regum. Beatus habitus fuit: & post beatam gloriam, cælestis Regni bona plenus senectute promeruit. Hactenus S. Ildephonsus. Obijt autem anno Christi sexcentesimo vigesimo quarto.

℟. Iustum deduxit.

In tertio Noctur. Hom. Vos estis sal terræ. *de Communi Doctor.*

Lectio xii. de S. Simone, & fit commm. in Laud. & Missa de Communi Doctor sine Credo.

Oratio propria.

DIE XXVII. FEBRVARII.

In Festo S. LEANDRI Episcopi Confess. & Doctor. Dupl.

Omnia de Communi Confessoris Pontific. & Doctor.

Ad Magnif. in utriusq; Vesp. O Doctor optime.

ORATIO.

DEus, qui Arianam prauitatem Beati Leandri Cõfessoris tui atq; Pontificis doctrinâ & meritis ab Hispania repulisti: da plebi tuæ, ut eius intercessione, ab omni errorum ac vitiotiorũ labe semper liberi conseruemur. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio v.

LEander Archiepiscopus Hispalensis, Patre Seueriano viro clarissimo, & Matre Theodora ortus est. Fratres

tres habuit Isidorum Hispalensem Archiepiscopum, & Fulgentium Episcopum Astigitanum, doctrina & sanctitate præstantissimos, & Florentiam (quam alij Florentinam vocant) Virginem religiosissimam; quos ipse maior natu accuratissimè in omni virtutum & disciplinarum cultu instruxerat: lucebat enim in eo iam à teneris annis castissimæ vitæ integritas, & morum grauitas, quam incomparabilis diuinarum humanarumq; litterarum doctrina illustrabat. Gliscente eo tempore in seruos Dei hæreticorum furore sub Vuisigothis Principibus, qui cum imperio Arianam impietatem in Hispaniam inuexerant, & eius Ecclesias miserè vexabant, publicæ calamitatis pertæsus, se in religiosum secessum recepit, ut in eo sub Regula S. Benedicti sanctiùs Deo inseruiret, & pijs studiis, & meditationibus exerceret. Sed noluit Deus clarissimam lucernam in occulto delitescere, sed in fastigio Eccclesiæ positam toti Hispaniæ prælucere. Nam Clero & populo exposcente, à Monasterio extractus, Archiepiscopus Hispalēsis creatus est.

℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

SVsceptam Ecclesiam omni cura & solicitudine gubernauit, & ut peritus nauclerus nauim in medijs tempestatibus saluam semper & incolumem ab omni impietatis errore conseruauit. Cleri & populi mores correxit; solemnia Ecclesiæ officia, Hymnodiam, Sacræ Missæ ritus, precesq;, quibus eo tēpore omnes Hispaniæ Ecclesiæ utebantur, ordinauit & auxit: Monachis & Sacris Virginibus præcepta dedit. Rebus autem Ecclesiæ ita compositis, Constantinopolim pro causis fidei Visigothorum Legatus profectus est; ubi ob eximiam religionem & doctrinam multis in magna fuit æstimatione, Sancto Gregorio præcipuè tunc Romani Pontificis Apocrysario, quo cum magna ei necessitudo & familiaritas iam inde intercessit, à quo posteà ad Romanam Sedem assumpto, ipse in in Ecclesiam suam reuersus, frequentes litteras, easq; beneuolentiâ plenas, & pallij ornamentum, & morales in Iob Commentarios suo

rogatu conscriptos accepit.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

CVm autem Hermenegildus Leouigildi Regis filiꝰ Leandri sermonibus conuersus fidei confessionem gloriosa sanguinis effusione confirmasset, inflammatus nouo furore Pater, Ecclesias facultatibus, & Pastoribus orbauit, Leandro inprimis (cuius in propaganda religione maior erat authoritas) & alijs Episcopis exilio mulctatis: nec tamen in ipso exilio cessauit cum fidei hostibus liberè decertare editis doctissimis libris, quibus eorum perfidiam confutauit.

℟. Iste est.

Lectio viij.

AFfulsit tandem Ecclesiæ post illam tempestatem optata serenitas. Rex enim, cùm in morbum incidisset, morte imminente, ad meliorem mentem reuersus, Leandrum cum alijs Episcopis ab exilio reuocari iussit, eique Reccaredi filij curam dedit, filio etiam Ecclesias instaurare, & Leandri consilijs in omnibus obsequi imperauit. Mox defuncto patre, pius Reccaredꝰ quidquid ille mãdauerat, fideliter adimpleuit. Leandri verò doctrina Gothis ad fidem conuersis, Hispaniæ Episcopi in Toletana Synodo conuenerunt, in qua Sanctus Doctor elegãtissima concione Patribus de gentis conuersione congratulatus est, multaq; ad fidem, & disciplinam Ecclesiæ sanciendam, tum in Synodo, tum in altera, quam posteà Hispali celebrauit, constitui curauit. Demum religione restituta, & Ecclesiæ pace firmata, iam octogenario maior, cùm Ecclesiam, quadraginta, & amplius annis sanctissimè rexisset, tertio Kaledas Martij migrauit ad Dominum. Sepultus est in Basilica Sanctarum Virginum Iustæ & Rufinæ: posteà eius corpus in Hispalensem Ecclesiam translatum est.

℟. Iustum deduxit.

In tertio Nocturno, Homil. Vos estis sal terræ. *de Communi Doctor.* ℟. x. In medio. *Missa de Communi Docto.* In medio *Oratio propra, & dicitur* Credo.

DIE I. MARTII.

In Festo S. RUDESINDI Episc. & Confessoris, Duplex.

Omnia de Communi Confes. & Pontif.

Pontif. præter ea, quæ hic habentur.

ORATIO.

PRopitiare quæsumus Domine, nobis famulis, tuis per Sancti Confessoris tui atque Pontificis Rudesindi merita gloriosa; ut eius pia intercessione ab omnibus semper protegamur aduersis. Per Dominum nostrum.

Deinde fit commem. Feriæ, si in Quadragesima venerit.

In primo Nocturno. Fidelis sermo. *ut in Communi Confes. Pontific.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

RVdesindus natione Callaicus, Parentibus Regij generis Guterio, & Ilduara, qualis esset futurus, eius conceptio satis ostendit. Multis enim ac largis in pauperes eleemosynis, orationibus, & lacrymis cùm vacaret Ilduara, ab Angelo præmonita est, se concepturam filium, qui, & apud Deum magni futurus esset mriti, & apud homines præcipuo sanctitatis nomine. Pridie igitur solemnitatis Sanctorum Martyrum Facundi & Primitiui Rudesindum peperit, qui dies propterea semper illis sacer ac festiuus, quamdiu vixerunt, fuit. ℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

COnstruxit præterea Ilduara in honorem Archangeli Michäélis Ecclesiã eo loco, ubi ab Angelo certior facta est se concepturã. Rudesindo itaque ab ipsa pueritia Dñi legem meditans, breui admodum in virum Apostolicum creuit. Quapropter ab Ecclesiæ Dumiensis, quæ Bracharensi unita est, clero, magno omnium consensu Episcopus eligitur, Rege, atq; proceribus mirè gaudentibus: nota enim illis erat Rudesindi; Sanctitas & eruditio.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

PRæsul ergo Dumiensis factus, multis virtutibus claruit. Splenduêre certè in Rudesindo præter cæteras dotes, profusæ in pauperes eleemosynæ, Ecclesiarum, aut iam dirutarum, aut ruinã minantium instauratio, aut nouarum constructio, atq; Euangelicæ doctrinæ frequentissima prædicatio. Assumpto deinde ad Mindunienfem, & Iriensem Episcopatum, ubi tunc Apostoli Iacobi corpus conditum erat, maiore in dies fru-

es fructu Christiano populo præerat. Deniq; insigne Monachorum cænobium in proprijs condidit prædijs, quæ illi amplissima, & opulentissima parentum testamento cōtigerant.

℟. Iste est.

Lectio viij.

NOmen Cænobio Cellanoua, quod religione, & augustâ structurâ etiam hodie spectatissimum est. In quo Monasticam sub B. Benedicti Regula vitam annos aliquot agens migrauit ad Dominum Kalendis Martij, editis multis in vita, & post obitum miraculis. Eius corpus, usq; ad hodiernum diem in eodem Cænobio quiescit, ac magnâ præcipuè Callaicorum, & Lusitanorum frequentiâ semper inuisitur. Claruit S. Rudesindus anno Dñi nongentesimo trigesimo, & sequentibus, quem Cælestinus tertius, dū in minoribus esset à terra leuauit, deinde Pontifex factus in Sanctorum Cathalogum retulit, anno salutis millesimo centesimo nonagesimo sexto. ℟. Iustum deduxit Dominus

In tertio Nocturno. Homil. in Euang. Sint lumbi. *de Communi Conf. non Pontif.*

Lectio xij. de Feria, si venerit in Quadrages. comm. eius in Laud. & Missa.

Missa. Sacerdotes. *de Communi Conf. Pontif. Oratio propria.*

In ij. Vesperis à Capit. de S. Suitberto; commem. S. Rudesindi, & feriæ, si venerit in Quadragesima.

DIE II. MARTII.

In Festo S. SUITBERTI Episc. & Confess. Duplex.

ORATIO.

EXaudi, quæsumus Domine, preces nostras, & intercedente Beato Suitberto Confessore tuo atque Pontifice: supplicationes nostras placatus intende. Per Dominum nostrum.

Commem. præced. & Feriæ, si venerit in Quadrag.

In primo Noctur. Lectio. Fidelis sermo. *de Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

SVitbertus Episcopus & Cōfessor, secundus nominatur inter duodecim illos Apostolicos viros, qui ex Anglia venerunt, fidem prædicaturi Frisijs, Hollandis, & vicinis; ex quibus Suitbertus adhuc presbyter multos ad Christum conuertit. Cumq; per

per eum, & Vuillibrordum numerus credentium quotidie augeretur, ex petitione fratrum in Traiecto & Frisia, uterq; consensit, ut Episcopus consecraretur. Vnde Suitbertus in Angliam rediens, consecratus est à S. Vuilfrido Episcopo Merciorum.

℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

HIc ergo inter duodecim illos prædicationis socios specialiter nominatur Apostolus Teisterbandiæ, Vuestphaliæ, & Borustiariorũ: conuertit enim ad fidem Comitatum Teisterbandiæ, cũ tota ferè Batua, ac magna inferioris Frisiæ parte. Teisterbandiæ verò hodie partẽ sibi vendicat Hollandia, partẽ Geldria. In quibus locis multas Suitbertus ædificauit Ecclesias, multa etiam templa, Idolorum superstitionibus eliminatis, vero Deo consecrauit. Plebemq; per ipsum conuersam orationibus protegebat assiduis, & admonitionibus saluberrimis ad cælestia vocabat.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

HVius Apostolici viri sanctitate motus Pipinus illustris Princeps, vicum Vuerdam ad Rheni fluuij ripas situm ei donauit. Cùmq; ex Sanctorum Monachorum cõuersatione & meritis profectum ac firmamentum sui principatus optaret: obtulit ei simul copiosum pecuniarũ thesaurum, quibus Episcopꝰ Monasterium Ordinis D. Benedicti ædificauit, in quo nõ mediocre famulorum Christi agmen collegit, & gubernauit. ℟. Iste est.

Lectio viij.

OBijt hic Sanctissimus Episcopus Kalendis Martij, anno Domini septingentesimo decimo septimo, post multorum populorũ ad Christi fidem conuersionem, sepultusq; est in suo Monasterio, in Vuerda Cæsaris. Vbi ad sepulchrum eius infirmi sanabãtur, cœci visum, claudi gressum, febricitãtes incolumitatẽ impetrabant. Quare Pipinus, Caroli Martelli filius, Vicum Vuerdam in Castrum conuertit, cùm inuocato Suitberto, meritis eius insignem victoriam contra Paganos obtinuisset. Et hodie Vuerda in Ducatu Cliuiæ, ubi Traiectenses olim Suitberti, quem suum Apostolum

vocant,

vocant, beneficio, ab Archiepiscopis, & Cæsaribus, libertatem à vectigalibus impetrârunt.

℟. Iustum deduxit.

In tertio Noctur. Homil. in Euang. Homo quidam peregrè. *de Communi.*

Lectio xij. de Feria, si venerit in Quadrag. commem. eius in Missa & Vesp.

Missa. Statuit. *de Communi. Oratio propria.*

DIE III. MARTII.

In Festo S. CHUNEGUNDIS Virginis, Duplex.

Omnia de Comm. Virg. præter quæ hîc assignantur.

ORATIO.

DEus qui B. Chunegundi Virgini tuæ terrena despicere, & ad cælestis Imperij culmen anhelare tribuisti: concede quæsumus, ut eius imitatione calcatis mundi illecebris, ad gaudia æterna securi peruenire valeamus. Per Dominum.

Lectio primi Noct. De Virginibus præceptum.

Lectio v.

CHunegundis augusta Germanorum nobilissima, ab ineunte ætate præclara exhibuit sanctitatis indicia, ac Deiparæ Virginis, cui se totam addixerat, patrocinio, mundi illecebras & fluxas carnis voluptates, ea morum seueritate coercuit, ut Virginitatem quoq; perpetuam colere, atq; Angelicam in terris vitam agere proposuerit. Verùm Parentum iussis, qui illã in Matrimonium desponderant, obtemperare coacta, illud à cælesti Sponso, qui pascitur inter lilia, precibus efflagitauit, ut quem susciperet virum, virginitatis suæ custodem inueniret.

Lectio vj.

HEnrico itaq; Bauariæ Duci, cognomento pio, postea Romanorũ Imperatori, in Matrimoniũ tradita, raro exẽplo virginitatẽ ipso annuente illibatã seruauit, in cuiꝰ testimonium cum aliquando, instigante humani generis hoste suspicio quædam contra ipsam fuisset exorta, nudis pedibus super ignitos vomeres incedens illæsa, egregium suæ innocentiæ præbuit argumentum, qnod Sanctꝰ ipse Henricus supremo mortis tempore appropinquans, abundantiùs declarauit; accitis namq; Imperij Proceribus, alijsq; Principibus viris, ac Sanctæ Virginis consanguine-

guineis. Quam mihi (inquit) eam assignastis talem reddo: Virginem dedistis, Virginem reddo.

Lectio vij.

SIngulari erga Ecclesias pietate prædita S. Henricũ coniugem suum, ad eas construendas & locupletandas, exhortationibus incitauit, opibus adiuuit. Bambergensem itaq; Episcopatum proprijs facultatibus fundatum, Beatorũ Apostolorum Principi Romanæq; Ecclesiæ vectigalem fecerunt, pluribus alijs templis & Cænobijs, Cæsarea planè munificentia locupletatis. Cumq; penè omnia quæ habebat in terris Christi Ecclesijs ac pauperibus distribuisset: seipsam quoq; defuncto viro, in IESV Christi obsequium impendit, ac S. Patris Benedicti Regulam professa; & Regnum mundi & omnem ornatum sæculi ingenti animi demissione contemnens, sanctum Religiosæ vitæ propositum usq; ad mortem exactissimè custodiuit.

Lectio viij.

IVgi itaq; virtutum exercitio, cum annos quindecim in Cænobio, bonorum operum meritis cumulata transegisset; ad cælestis agni nuptias, quas unicè optauerat inuitata, sancto fine quieuit. Famulæ suæ sanctitatem Deus illicò multis & crebris miraculis demonstrauit; nam ad eius tumulum, cæci visum, claudi gressum, surdi auditũ, muti loquelam, alijq; multis ac diuturnis languoribus affecti, salutem retulerunt, sed illud inprimis nobilie, quod puluis de sepulchro eiꝰ assũptus sæpè in frumentum conuerti repertus est. Quibus ritè probatis ab Innocentio III Pontificè Maximo Sanctarũ Virginum est numero adscripta.

Homil. in Euang. Simile est Regnum cælorum decem Virginibus.

DIE VIII. MARTII.

In Festo S. VEREMUNDI Abbatis. Duplex.

Oratio. Interçessio. *de Communi Abbatum.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

VEremundus natione Nauarrus, clarissimis ortus parentibus ex vico Villatorta, vel, ut alijs placet, ab Areillano ad radices Montis Iurræ à Stella Ciuitate duorum

rum ferè passuum millibus distantis. Paruulus adhuc, relicta domo, rebusq; patris, Deo militaturus, Monasteriũ Hirachense, Ordinis S. Benedicti, sub disciplina Munij Abbatis ingressus est. Vbi mirum dictu, quanta morum integritate, quanta virtutum perfectione, vel in ipsa pueritia reliquos sui temporis superabat: cilicio, ieiunijs, vigilijs, & orationibus domabat corpus, ne grauaret animam.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio vj.

CÆterum cùm in dies semper iret de virtute in virtutem, in mortui Abbatis auunculi sui locum sufficitur. Pastor electus non mores mutauit; sed & cæteros, & se ipsum virtutibus quotidie superabat: quod miraculorũ signa frequenter manifestabant, siue dum futura prædicit, siue dum messes Monasterijs in area ardentes, oratione sola extinguit, siue dum latrones, greges & armenta Monasterij deprædantes permanere immobiles facit, siue dum dæmones à corporibus obsessis relegat, siue dum cæcos illuminat, & infirmos sanat, siue denique dum pluuias, & alia postulata à populo, à Deo impetrat,

℟. Amauit eum.

Lectio vij.

PRæter cætera tamen in pauperes & alios fideles munificentissimus fuit; quamobrem mira & stupenda per ipsum operatus est Dominus. Contigit enim (inter alia multa) ut ingens fames totum regnum Nauarræ depopularetur; qua miserabili plaga coacti, multi ad sanctũ virũ, eleemosynã petituri, confluebant. Ingrauescẽte verò in dies fame, multitudo circiter trium hominũ millium conuenit. Verùm cùm domi non esset, unde tanta multitudo reficeretur, ingens clamor & ululatus oritur; nam fame confectis vix erant vires quoquam eundi: quare periclitandum erat, nisi à Patre subueniretur. ℟. Iste est.

Lectio viij.

QVod mirandum spectaculum vehementer dolens, accessit ad altare, sacrũ peracturus: ecce dum ad illũ locum deuentum esset, in quo Sacerdos orat pro populo, & lacrymis à Deo postularet

laret auxilium, columba alba de cælo descendens super singulorum capita, quasi illos tangens volitabat, atq; mox, cunctis videntibus, in cælum redijt. Quo tantum virium, tantamq; saturitatem unusquisq; sensit, ac si splendidissimis, & varijs cibis esset refectus. Qua de re Deo gratias exhibentes, læti redierunt ad propria. His igitur, & alijs miraculis, Monasterium, quod satis illustre tota Hispania, Veremundus accepit, insignis fama sanctitatis reddidit augustius Felici. Tãdem resolutus morte migrauit ad Christum anno Domini millesimo nonagesimo secundo, octauo Idus Martij, cùm Monasterium Hirachense rexisset quadraginta & ampliùs annis.

℟. Desiderium.

In tertio Nocturno, Homilia Ecce nos reliquimus. *de Communi Abbatum.*

Lectio xij. de feria, si venerit in Quadrages. Commem. eius in Laudibus, & Missa. Abbat. Os iusti.

In ij. Vesp. à Cap. de S. Francisca, cum comm. S. Veremundi, & feriæ.

Missa de Communi Abbatum. Os iusti.

DIE XI. MARTII.

S. VINCENTII Martyris, & Abbatis. duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ hic sunt propria.

ORATIO.

PReces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi; ut Beati Vincentij Martyris tui atq; Abbatis meritis adiuuemur, cuius passione lætamur. Per Dñum.

Et fit comm. SS. Quadraginta Mart. & Feriæ, & S. Eulogij Martyris. ORATIO.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui Beati Eulogij Martyris tui natalitia colimus, intercessione eius in tui nominis amore roboremur. Per Dñum.

In primo Noct. Lectiones Debitores sumus. *de Communi plur. Mart.*

Iu secundo Nocturno.

Lectio v

VIncentius Abbas Cænobij Sanctorum Martyrum Claudij, Lupertij, & Victorij in Suburbio Legionis Vrbis, vir orthodoxæ fidei, Monasticæq; disciplinæ obseruantissimus, cùm ab Arianis, quorũ bona pars per ea tempora in Gallæcia à Gothorum Regi-

bus iam Catholicis, identidē deficiebat, nequaquam adduci posset, ut in eorum dogma à recta fide deflecteret, quin potiùs eorum perfidiam, & errores detestatus, publicis concionibus & disputationibus in his profligandis totus incumberet, ab eis in conciliabulum adductus, varieq; circa fidei confessionem, ut vel à Catholicis duntaxat verbis discederet, tentatus est.

℟. Honestum.

Lectio vj.

VIncentius verò primùm illis prauam, quam de Trinitate sententiam, Euangelica reclamante veritate, tuebantur, exprobrauit: deinde Nicænæ Synodi authoritatem obijciens, mortem se potiùs subiturum, quàm in aliquo, quamuis modico, ab ea descisceret professus est. Quo responso irritati, vestibus spoliatum, acerbissimè flagellant, flagellatum in obscurissimum carcerem tradūt. Vbi ab Angelo multa luce carcerem illustante visitatus, pristinæq; valetudini restitutus est. Postridie autē, cùm altissima voce coram omnibus ex fidei symbolo illud, quo præcipuè Ariana hæresis damnatur, recitasset, scilicet: Nihil prius, aut posterius: Nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales, morti addicitur.

℟. Desiderium animæ.

Lectio vij.

IVssus est autem occidi iuxtà sui Cænobij fores. Quò cùm duceretur, verbaq; illa Christi in Cruce pendentis subinde repeteret: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, quidam ex satellitibus gladio ingenti vulnere caput illius percussit: quo ictu corruens Spiritum Domino reddidit, ætatis suæ anno quadragesimo septimo, Domini verò sexcentesimo trigesimo. Eius corpus Monachi noctu rapientes iuxta Ecclesiæ parietem sepelierūt ad Occidentem. Quibus vigilantibus visus est inter Martyrum choros eis prædicens, adesse martyrij tempꝰ, si qui cuperent, aut oportere illos relicto cænobio in abditissimis se locis occultare.

℟. Stola iucunditatis.

Lectio viij.

MOnachi ergo fuga sibi consulentes, in Gallæciam

am se contulerunt, ubi aliud cænobium ædificarunt cui ex relicto nomenclaturam indiderunt, S. Claudij similiter appellantes. Quod à nigris, quales erant primi illi conditores, longo tempore inhabitatum, hodie à Cisterciensibus Monachis, qui ab illis originem ducunt, incolitur. Corpus verò S. Vincentij diuino nutu posteà repertum, & Ouetum deportatum, in Cathedrali Ecclesia argentea Theca reconditum asseruatur, quam illi ex voto suis impensis construi curauit Magister Garcias eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octauo.

℟. Posuisti Domine.

In tertio Noctur. Homil. in Euang. Si quis vult. *de Communi unius Martyr.*

Lectio xij. ℟. *& comm. feriæ, & S. Eulogij in Laud. & Missa.* Quæ erit in virtute.

In ij. Vesp. à Capit. de S. Gregorio Papa Confes. comm. præced. & feriæ.

DIE XIII. MARTII.

SS. RAMIRII, & Sociorum Mart. Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

ORATIO.

DEus, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum Ramiri & sociorum eius natalitia colere: da nobis, in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Gregorij, & feriæ.

In secundo Nocturnò.

Lectio v.

RAmirus Monasterij Sancti Claudij Legionensis Prior fuit eo tempore, quo Sanctus Abbas Vincentius Martyrio sublatus est. Ab ipso autem de instante persecutione per visionem præmonitus, congregatis in unum fratribus, quæ ventura erant, graui sermone intimauit: ut qui constanti animo erãt, se ad mortem pro fide subeundam, pijs exercitationibus præpararẽt. Ceteri verò, sicut Christus in Euangelio permisit, fuga sibi consulerent.

℟. Sancti tui.

Lectio vj.

ILlis igitur, qui pusillo animo erant, segregatis, & ad montana Gallæciæ dimissis, ipse cum duodecim Monachis, quos ad martyrij agonẽ Spiritus Sanctus selegerat, in

Ecclesiam profectus, eos hortabatur, ut paratam sibi coronam læto animo exciperent; votisq; ardentibus ad promissum beatitudinis præmium anhelarent. Orantibꝰ autem illis, & agonem suum Domino commendantibus, cum ingenti furore, & impetu aduenerunt Ariani, quibꝰ Beatus Ramirus ianuas aperiri mandauit.

℞. Verbera carnificum.

Lectio vij.

CHristi verò milites eorum aspectum minimè formidantes, symbolum fidei alta & intelligibili voce cantare cæperunt; quò sæpiùs repetito, impij satellites, districtis gladijs, eos inuaserunt, eorumq; corporibus discerptis, intrantes in Monasterium, omnia igni tradiderunt. Nocte autem adueniente, dilaniata martyrum membra, pij fideles congregarunt, & in Ecclesia sepelierunt.

℞. Tanquam aurum.

Lectio viij.

IBidem longo tempore asseruata sunt, sed locus, in quo quiescebant; labentibus annis obliuioni traditus est, donec eiusdem Monasterij Abbas circa annuum Domini millesimum quingentesimū nonagesimum quartum, vetustissimi templi corruentes parietes instauraturus sub altari Sancto Ramiro dicato, loculum reperit ex lapide impolito, in quo ipsius ossa reperit, quæ in nouo altari magnificentiùs extructo, argentea theca inclusa, collocata sunt, atq; ibidem magna populi veneratione propter crebra miracula coluntur.

℞. Certamen.

In iij. Noctur. Homil. in Euangel. Cùm audieritis. *de Communi.*

Lectio xij. cum suo ℞. *de fer. occurrente & commem. de ea in Laud. & Vesp.*

DIE IV. APRILIS.

In Festo S. ISIDORI Archiepiscopi Hispal. Confes. & Doct. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. præter ea, quæ hìc sunt propria.

Antiph. ad Magnif. in utrisq; Vesp. O Doctor.

ORATIO.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis Beatum Isidorum ministrum tribuisti: præsta quæsumus, ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere merea-

mereamur in cælis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

In primo Noct. Lectiones. Sapientiam omnium. *ut in Communi Doctorum.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

JSidorus natione Hispanus, Hispaniarum Doctor egregius, ex noua Carthagine, cui Pater ipsius Seuerianus dominabatur, à Sanctis Viris Leandro Archiepiscopo Hispalensi, & Fulgentio Episcopo Astigitano fratribus suis sanctè & liberaliter in studio literarum educatus est, & ingentem doctrinam Latinè, Græcè, atq; Hebraicè cum magna nominis claritate cõsecutus. Hic adolescens adhuc hæresim Arianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem penitꝰ iam pridem inuaserat, tam constanter palàm arguebat, ut propè fuerit, ut ab Arianis necaretur; sed cohibitus, à Leandro, hunc sibi successorem fore, præsagiente: & ut se commodiori tempori reseruaret admonitus, indignationem temperauit.

℞. Inueni Dauid.

Lectio vj.

IGitur Leandro vita functo, Isidorꝰ magno Regis Reccaredi, & populi consensu in Hispaliensi Archiepiscopatu sufficitur. Quam electionem S. Gregorius Papa confirmauit, eiq; pallium misit in Hispaniam: Quantum verò Põtifex factus fuerit constans & humilis, patiens & benignus, compatiens miseris & pauperibus, & cunctis virtutibus insignitus, nullius lingua sufficeret ad narrandum. Construxit Monasteria, & Collegia ædificauit: in quibus studijs sacris, & diuinis lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudiuit, inter quos fuit B. Ildephonsus Toletanæ Ecclesiæ posteà Archiepiscopus.

℞. Posui adiutorium.

Lectio vij.

SCripsit librum Ethymologiarum, & Sacri Canonis libros plurimos commentatus est, & tot, tantaq;, alia volumina scripsit, ut humana vix vita tantis suffectura laboribus videatur. Sed qui Deo student, nihil non procliue sentiunt, nihil frustrà conantur, nihil non ex voto consequuntur. Fuit denique Isidori tanta doctrinæ & sancta-

ctitatis opinio, ut coacto Cō-cilio generali, ultrò fuerit à Pontifice Maximo vocatus. Vbi mirum est, quātum ponderis & authoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud Pontificem & omnes Prælatos.

℞. Iste est qui.

Lectio viij.

REuersus autem in Hispaniam, cùm suam mortem, & Hispaniæ vastationem à Saracenis, publicè prædixisset, migrauit è vita pridie nonas Aprilis, anno Domini sexcentesimo trigesimo quinto, Sisenando in Hispania regnante: sepultusq; fuit Hispali. Inde posteà translatus est in urbem Legionem à Fernando primo Castellæ simul & Legionis Rege, qui hoc ab Eneto Saraceno Hispali regnante magnis precibus & præmijs impetrauit. Cuius nomini templum ædificatum est Legione, ubi sepultus, miraculis clarus colitur magna populi religione.

℞. Iustum deduxit.

In tertio Nocturno, Homil. Vos estis sal terræ. *ut in Communi Doct.* ℞. x. In medio.

Si celebratur in Quadrages. Lect. xij. de Homil. feriæ currentis. Commem. eius in Missa, & Vesp.

Missa de Communi Doct. & dicitur Credo.

In secundis Vesperis commem. S. Vincentij Ferrerij Confes. semid. ad libitum.

DIE XVI. APRILIS.

S. TURIBII Episcopi & Confessoris, Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pontif. præter ea, quæ hic sunt propria.

ORATIO.

DEus, qui B. Turibij doctrina & prædicatione Priscilliani hæresim, in Hispania extinxisti: concede propitius, ut ipso pro nobis intercedente, quod fideliter credimus, operibus comprobemus. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio v.

TVribius natione Hispano, primùm Apostolicæ Sedis Notarius fuit. Huiusmodi enim titulo decoratur à Lucretio Episcopo in præfatione primi Concilij Bracharensis. Deinde ad Austricensem Episcopatum assumptus, incredibili ardore fidem Catholicam tueri cæpit aduersus Priscillianistarum hæresim, iam olim in Hispania explo-

ploſam, tunc denuò repullulantem. Quæ, cùm eos etiã, qui aduerſus eam dimicare debuiſſent, inficere cœpiſſet; viſum eſt Turibio, ea de re Leonem Pontificem, huius nominis primum, certiorem facere, miſſis ad eum ſexdecim articulis, quibus cuncti Priſcillianiſtarũ errores, totidem anathematiſmis damnati continebantur.

℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

LEo, his acceptis litteris, occurrere huic malo malo maturè cupiens, inſignem illam ad Turibium direxit Epiſtolam; quæ in numero epiſtolarum Leonis eſt nonageſima tertia. In qua zelum eius mirificè in primis commendat, inquiens: Quàm laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate mouearis, & quàm ſolicitè dominico gregi deuotionem officij Paſtoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum fraternitatis tuæ ſcripta demõſtrant. Quibus notitiæ noſtræ inſinuare curaſti, qualis in regionibus veſtris de antiquæ peſtilentiæ reliquijs errorum morbus exarſerit.

℟. Poſui adiutorium.

Lectio vij.

REpetitis mox ſexdecim illis à Turibio miſſis articulis, ſubiectaq; ſuccincta ſingulorum confutatione, monet eum Leo, ut habito quãprimum inter Epiſcopos Hiſpanos Concilio, ſecundùm ea, quæ ad eius ſcripta reſpondeat, pleniſſimo diſquirantur examine: ſint ne aliqui inter ipſos eiuſdem hæreſis contagio polluti, à communione ſine dubio, niſi hæreſibus abiuratis ſtatim reſipiſcant, ſeparandi. Id, quod nauiter impletum eſt. Tunc enim coacta eſt ſecunda ſynodus Toletana, in qua, iuxta Leonis ſancita, omnes Priſcilliani errores reciſi ſunt. Habita eſt autẽ hæc Synodus eodẽ anno, quo Leonis Epiſtola dicta eſt, ſcilicet Alipio, & Ardaburio Conſulib9, anno Dñi quadringenteſimo, quadrageſimo ſeptimo.

℟. Iſte eſt.

Lectio viij.

DEcertauit etiam Turibius aduerſus huiuſmodi hæreticos per diuerſas Hiſpaniæ regiones gladio verbi Dei, miraculis, doctrinæ eius veritatem cõprobantibus. Quorum teſtis fuit Palantia urbs Celtiberorum perantiqua,

fluminis ipſam alluentis inſolita inundatione; propter Turibij contemptam prædicationem inſigniter vexata. Deceſſit tandem Turibius ſenili ætate, bonis operibus plenus, ſepultuſque cernitur hodie in Cænobio Monachorum Diui Benedicti, eius nomini dicato ab ea Auſturum montana, quæ Liebana Hiſpani vocant, in quo magna Crucis Dominicæ pars, aliæque inſignes reliquiæ, debita cum veneratione aſſeruantur. ℟. Iuſtum deduxit.

In tertio Noctur. Homil. in Euang. Homo quidam peregrè. *de Communi. Miſſa.* Statuit. *ſine* Credo.

In ſecundis Veſperis commem. S. Aniceti, ut in Breuiario.

DIE XXI. APRILIS.

In Feſto S. ANSELMI Epiſcopi Conf. & Doct. Duplex.

Omnia de Communi Confeſ. Pontif. & Doct. præter ea, quæ hic ſunt propria.

Ad Magnif. Antiph. O Doctor. ORATIO.

Eccleſiam tuam, quæſumus Domine, benignus illuſtra: ut B. Anſelmi Confeſſoris tui atque Pontificis illuminata doctrinis, ad dona perueniat ſempiterna. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones. Sapientiam omnium. *de Communi Doctorum.*

In ſecundo Nocturno.

Lectio v.

Anſelmus Auguſtæ Prætoriæ in Italia natus à pueritia ſtudia litterarum ſectatus, cùm breui admodum plurimùm in eis profeciſſet, relicta patria, ad Beccenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti, ſe contulit, ubi præceptore uſus Lanfranco Cœnobij Priore, viro præſtanti religione & ſapientia, ſæculari litteraturæ ſacram adiũxit, ac in eodem Cœnobio vigeſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno Monachus efficitur: ſed Lanfranco ad Cadomenſis Cœnobij regimen aſſumpto in eius locum ſucceſſit Anſelmus; ſicque ampliorem DEO ſeruiendi nactus occaſionem, totum ſe ei muneri, fratrumque neceſſitatibus, impendit. Diuinarum interim rerum contemplationi adeò deditus fuit ut obſcuriſſimas, & ante id temporis inauditas de Diuinitate quæſtiones, DEO reſerante, clariſſimè perſpexerit, & explicauerit. ℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

ABstinentiæ, & continentiæ tantæ fuit, ut ab initio prioratus illecebra in eo penitus extincta sit, adeò corpus inedia macerauerat; somnus illi parcissimus, propterea quòd die, pro dandis cõsilijs, non sufficiente, noctis bonam addere partem cogeretur. Deinde quod Bibliothecæ monasterij libros, qui eo tempore pessimè scripti erant, nocte corrigebat. Demum, quòd in sanctis meditationibus se exercens, lacrymarum imbres fundens, plerumq; ante nocturnas vigilias parum, aut nihil somni capiebat. Æmulos quosdam ægrè ferentes iuuenem sibi, qui seniores in monasterio erant, in Prioris officio Prælatum, adeò humilitate & charitate vicit, ut ex inimicis, sibi beneuolos & amicissimos redderet. Infirmorum domum frequentissimè inuisebat, quæq; singulis opus erant, ipse per se ministrabat.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

DEfuncto Herluino Beccẽsi Abbate in eius locum omnium suffragijs, sufficitur Anselmus, qui cùm pedibus eorum prouolutus, ut á se, utpotè indigno, id oneris, auerterent, obsecraret, ab eisdẽ pariter in terram se prosternentibus, ut assensum præberet, coactus est. Qui mox monasterij negotijs, sollicitudini fratrũ, quos ipse strenuos, & idoneos nouerat delegatis, totus eruditioni, admonitioni & correctioni fratrum, Diuinæq; contemplationi vacare cœpit. Hospitũ suscipiendorum, iuxta præscriptum regulæ adeò studiosus fuit, ut nonnunquam cibos de mensis fratrum iusserit auferri, ut hospitibus apponerentur: Deo semper Monachorum indigentiæ frequentibus miraculis subueniente.

℟. Iste est qui ante Deum.

Lectio viij.

MOrtuo deinde Lanfranco, qui ex Abbate Cadomensi factus fuerat Archiepiscopus Cantuariensis, ei etiã successit Anselmus, magna totius regni gratulatione, anno millesimo nonagesimo tertio. Sed mox dissidio orto inter Vuilhelmum Angliæ Regem, Ecclesiæ iura inique sibi vindicantem, & Aſſelmũ Ecclesiæ libertatem tuẽtem, semel & iterùm exulare cõpul-

pulsus, Romam venit, honorificèq; ab Vrbano Secundo exceptus, Concilio Barensi interfuit; Græcosq; ibi circa processionem Spiritus Sancti errantes doctrinæ suæ robore coërcuit. Tandem sub Paschale Secundo, qui successit Vrbano, horrenda morte ex humanis sublato uuilhelmo Angliæ Rege, ab Henrico eius fratre in Angliam reuocatur, & libertatem Ecclesiæ, pro qua laborauerat, adeptus est. Fauit plurimùm festiuitati Conceptionis Virginis MARIæ, paulò antè in Anglia ab Elpino Abbate Diuina reuelatione admonito, celebrari cœptæ, de qua etiam egregium edidit Commentarium. Moritur demum undecimo Kalendas Maij, anno Dñi millesimo centesimo nono, doctrina & miraculis clarus.

℞. Iustum deduxit Domino.

In tertio Nocturno, Homil. In Euang. Vos estis sal terræ. *de Communi Doctorum.*

℞. x. In medio Ecclesiæ.

In Vesperis commem. SS Soterris & Caij Pontif & Mart.

DIE XXIV. APRILIS.

S. MELLITI Episcopi & Confessoris, Duplex.

Oratio. Exaudi, quæsumus Domine præces nostras. *de Communi Confes. Pontif.*

Et fit commem. S. Gregorij in Vesperis.

In primo Nocturno Lectiones. Fidelis sermo. *in Communi Pontif.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

MEllitus Abbas Romanus, primus fuit inter præcipuos, quos à B.Gregorio magno socios prædicationis accepit S. Augustinus in Anglia. Qui ab Augustini successore Laurentio Londini creatus Episcopus, Romam, defuncto iam Gregorio, reuersus est, de necessarijs quibusdam Ecclesiæ Anglorũ cum Apostolico Papa Bonifacio Quarto tractaturus. Et cum idem Papa Reuerendissimus cogeret Synodum Episcoporum Italiæ de vita Monachorum & quiete ordinaturus, Mellitus inter eos assedit anno octauo Imperij Phocæ Imperatoris, ut quæcunq; erant regulariter decreta, sua quoq; authoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, secum Anglorum Ecclesiæ mandata atq; obseruanda deferret.

℞. Inueni Dauid.

Lectio vj. Mel-

MEllito in Angliam reuerſo Saberēctus Rex ad regna cæleſtia aſſumptus, tres filios, qui in infidelitate permanſerant, hæredes reliquit. Qui mox Idolis cæperunt palàm inſeruire, libertatemq; ad idem faciendum populis ſuis conceſſere. Cùm ergo Epiſcopum in Eccleſia cernerent, Euchariſtiam fidelibus miniſtrantem: quare non etiam nobis, dicebant, porrigis panem nitidum, quē & Patri noſtro dare conſueueras? Quibus ille, ſi vultis, aſſerebat ablui fonte illo ſalutari, quo Pater veſter ablutus eſt; poteritis etiam panis ſancti participes eſſe. Cum ergo baptizari renuiſſent, & ipſe panem vitæ nequaquam illis vellet tribuere, è Regno ſuo pulſum cum ſocijs abire iuſſerunt. Qui aſſumpto ſecū Iuſto Ruffenſi Epiſcopo, & prædicationis ſocio, ſimiliter ab idololatris eiecto inGalliā ſeceſſit. Vnde mox à Laurentio Archiepiſcopo, à Beatiſſimo Apoſtolo Petro in ſomnis admonito, ambò ſunt in Angliam reuocati.

℟. Poſui adiutorium.

Lectio vij.

SEd cùm Londinenſes à Sacerdotibus Idolorum decepti, Mellitum recipere nollent, ad Laurentium redijt: cui in Regnum cæleſte tandē profecto, in Archiepiſcopatu ſucceſſit, tertiuſq; à B. Auguſtino Doruernienſis Eccleſiæ regimē ſuſcepit. Erat quidē Mellitꝰ podagra grauatꝰ, ſed mentis greſſibus ſanus alacriter terrena quæq; tranſiliens, atq; ad cæleſtia ſemper anhelans: carnis etiam origine nobilis, ſed culmine virtutis nobilior. Deniq; unum virtutis eius, unde cætera intelligi poſſunt, teſtimonium referam; aliquando Doruernienſis Ciuitas, igni per incuriam correpta, crebreſcentibus cœpit flammis conſumi; quibus cùm nullo aquarum iniectu poſſet obſiſti; confidens Epiſcopus in Diuinum, ubi humanum deficiebat auxiliū, iuſſit ſe obuiam ſeuientibus ignium globis inferri.

℟. Iſte eſt qui ante Deum.

Lectio viij.

ERat eo loci, ubi flammarum impetus maior erat, Martyrium Beatorum Quatuor Coronatorum. Ibi ergo perductus obſequentium manibus Epiſcopus, cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firmæ fortium ma-

nus multùm laborando nequiuerant. Nec mora, ventus, qui à meridie flans, urbi incendia sparserat, contra meridiem reflexus, primò vim furoris sui à læsione locorum, quæ contrà erant, abstraxit, ac mox funditus quiescendo, flammis pariter sopitis, atq; extinctis, compescuit. Hic ergo postquam annis quinq; rexit Ecclesiam, migrauit ad cælos, sepultusq; est cum Patribus suis in Monasterio, & Ecclesia Beatissimi Principis Apostolorum, anno ab Incarnatione Domini sexcētesimo vigesimo quarto, octauo Kalendas Maij.

℟. Iustum deduxit.

In tertio Nocturno, Homil. in Euang. Homo quidam peregrè. *in Comm. Pontif. Missa.* Statuit. *sine* Credo.

Vesperæ de sequenti cum commem. S. Melliti.

DIE XXV. MAII.

In Festo S. GENADII Episcopi & Confessoris, Duplex.

Oratio. Da quæsumus. *de Communi Confess. Pontificis.*

Et fit commem. S. Vrbani Papæ & Mart. ut in Breuiario.

In primo Nocturno Lectiones. Fidelis sermo. *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

GEnadius cùm sub Arandisselli Abbatis pijssimi atq; sanctissimi viri nutu, & obedientia per aliquot annos vixisset in Monasterio Agensi, secessum, ac solitariam vitam ardenter desiderauit, impulsus exemplo acerrimo Monachorum & Eremitarum, qui apud S. Petrum de Montes Eremum vastissimam celeberrima cum laude incolebant. Vnde ab Abbate suo copia illò demigrandi obtenta, cùm duodecim selectis Monachis in prædictum Monasterium secessit: quod priùs inhabitauerant sanctus Fructuosus, & Valerius; & sanctitate sua clarum toto orbe fecerunt, ut gesta per illos habent.

℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

NImia vetustate attritum, & in multis collapsum, hoc B. Petri Sacellum Genadius cùm inuenisset, festinè instaurare curauit, ut tantorum Monachorum summè cōueniens domicilium præberet; cui etiam ut annonam præstaret, dissipatis veprium, & montium (quibus terra

scate-

scatebat) spinetis, vineas, & fructeta, plantauit, quamuis ut cælestis agricola potiùs de virtutum pro se, quàm etiam pro omni plebe, consitione & insitione curabat. Quo factum est, ut à nobili potentique Asturicensium populo ex uniuersorum consensu, quinimò, & contentione propter reluctantiam Genadij durissimè obsistentis in Episcopum assumeretur.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

POtiùs corpore, quàm mente Genadius à suo Monasterio exulabat, quia non secus ac vir diuinorum contẽplationi per omnia deditus, atq; traditus, quæ Dei & ad Deum erant, meditabatur, & quæ mundi & sæculi, graui auersabatur stomacho, ni pro iniuncto sibi munere expediret, illis morem gerere, & hilarem vultum præstare. Inde factũ est, ut non solùm illam suam ædem reficeret, redditibusq; amplificaret, decoraretq; structuris, verùm & duo alia in eadem Diœcesi Monasteria erigeret, unum in Beati Andreæ, alterum in honorem S. Iacobi, quod vulgò Penalua vocatur, & inter utrumq; ad territorium quod dicitur Silentium, eximium quoddam Oratorium extruxit in honorem B. Thomæ Apostoli. Ita etiã omnia Monasteria honestauit suorũ distributione librorum: qui licet paucissimi numero, utpotè quatuordecim volumina tantùm: pretio tamen, & iusta æstimatione impares, & vel sola ratione possidentis celebres.

℟. Iste est qui ante Deum.

Lectio viij.

MVnus Pontificis strenuè per omnia gessit, adeò ut in stuporem cunctis, & in exemplum foret. Nec mirum: nam in charitatis officijs totam penè diem insumebat, & in contemplationum delitijs iugiter pernoctabat. Cuius Rachelis amplexibus tãdem illaqueatus, & tractus, præsulatu se abdicauit, & ad sibi dilectam solitudinem (hoc est) ad B. Petri asylũ iterùm se recepit: ubi durissima ieiuniorum, & flagellorum, & sentium asperitate carnem dum macerabat, meditationi perpetuus adhærebat. Vnde bonorum omnium plenus ex hac vita migrauit. Sepultus à discipulis (acriter eius

obitum

obitum flentibus) fuit in Ecclesia S. Iacobi de Penalua, ubi per multa sæcula requieuit: usq; dum Maria de Toledo Ducissa Albæ, generis claritate conspicua, & pietate præstantior decentissimè sacra illius transtulit ossa in Monasterium, quod dicitur Laura, à se ipsa proprijs sumptibus erectum ex fundamẽtis in ciuitate Vallisoleti. Et ex horum Sacrorum ossium congerie aliqua sequestrauit munificentissimo atq; religiosissimo Monasterio S. Benedicti Regij eiusdem Ciuitatis, necnon & eiusdem Ordinis cum Monasterio prædicto S. Petri de Montes donauit. Vbi festum eius magna deuotione colitur; & festiuitatis splendore illustratur.

℟. Iustum deduxit Domino.

In tertio Noctur. Homil. in Euang. Homo quidam peregrè. *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

Missa. Statuit. *sine* Credo.

Lectio xij. de S. Vrbano Papa Mart. & commem. in Laudib. & Missa.

Missa. Statuit. *de Communi Confess. Pontif. commem. S. Vrbani Papæ & Martyris.*

In Vesperis à Capitulo de sequenti, & commem. præcedentis, & Sancti Eleutherij Papæ & Martyris.

DIE XXVI. MAII.

In Festo S. AUGUSTINI Episc. & Confes. Duplex.

Oratio. Exaudi quæsumus Domine. *de Communi Confes. Pontific. & comm. S. Genadij, & S. Eleutherij Papæ Mart.*

In primo Nocturno, Lectiones. Fidelis sermo. *in Communi Confessoris Pontificis.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

ANno ab incarnatione Domini quingentesimo nonagesimo sexto, Sanctus Gregorius misit seruum Dei Augustinum, & alios plures cum eo Monachos Ordinis Diui Benedicti timentes Dominũ ad prædicãdum verbum Dei genti Anglorum. Qui acceptis de gente Francorum interpretibus, in Angliam delati benignè à Rege Edilberto suscepti sunt. Erant autẽ viri fermè quadraginta crucẽ pro vexillo ferentes argenteam, & imaginẽ Domini Saluatoris in tabula depictam, litaniasq; huiusmodi, quoties alicui Ciuitati appropinquarent, concinebant: Deprecamur te Domine in omni mise-

misericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua à Ciuitate ista, & de domo sancta tua, quoniam peccauimus tibi. ℞. Inueni Dauid.

Lectio vj.

CRediderunt ergo nonnulli, & baptizati sunt mirantes simplicitatem, innocentiam vitæ, & dulcedinem doctrinæ eorum cælestis. Erat autem propè Ecclesiam, quædam in honorem S. Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua Regina, quæ Christiana erat, nempè de gente Francorũ nomine Bertha, orare consueuerat. In hac ergo, & ipsi conuenere primò; ibiq; psallere, missas facere, prædicare & baptizare cæperunt, donec Rege ad fidem conuerso, maiorem prædicandi & Ecclesias erigendi licentiam acceperunt. ℞. Posui adiutorium.

Lectio vij.

INtereà vir Domini Augustinus Arelatem venit, & ab Archiepiscopo eiusdem Ciuitatis Etherio, iuxta Sancti Patris Gregorij iussa, genti Anglorum Archiepiscopus ordinatus est. Reuersusq; in Britanniam misit continuò Romam Laurentium Presbyterum, & Petrum monachos, qui Beato Pontifici Gregorio gentem Anglorũ fidem Christi accepisse, seq; Episcopum factum esse referrent: simul & de ijs, quæ necessariæ videbantur, quæstionibus eius consulta flagitans. Nec mora, congrua quæsitis responsa accepit, pluresq; cooperatores, ac verbi ministros, in quibus præcipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, & Rufinianus, & per eos generaliter uniuersa, quæ ad cultum erant, ac ministerium Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altariũ, ornamenta quoq; Ecclesiarũ, & Sacerdotalia, Clericaliaq; indumenta, Sanctorum etiã Apostolorum, ac Martyrum reliquias, & codices plurimos. ℞. Iste est qui ante Deum.

Lectio viij.

AVgustinus ergo pluribus constructis Ecclesijs, & sui Ordinis Monasterio, celebrataq; semel, & iterùm Synodo, connocatis ad id Britonũ Episcopis super celebratione Paschæ, & alijs eorum ritibꝰ Ecclesiasticæ unitati aduersantibus, veraq; de his omnibus

bus doctrina, euidentibus miraculis confirmata: Postquam ex socijs prædicationis Mellitum, & Iustum Episcopos ordinasset, suffecto sibi iam anteà Laurentio, dormiuit in Domino, sepultusque est in Ecclesia ab eius successore perfecta, Principibusque Apostolorum dicata, septimo Kalendas Iunij, eodem Rege regnante, anno Dñi sexcentesimo nono.

℟. Iustum deduxit.

In tertio Noctur. Homil. in Euang. Vigilate, quia nescitis. *ut in Communi Confes. Pontificis.*

Lectio xij. de S. Eleutherio Papa & Mart. Missa. Sacerdotes. *de Communi Confes. Pontificis sine* Credo. *commem. S. Eleutherij Papæ Martyr.*

In secundis Vesperis à Capitulo de sequenti, commem. præced. & S. Ioannis Pap. Mart.

DIE XXVII. MAII.

In Festo S. Bedæ Presbyteri Confes. & Doct. Duplex.

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiam tuam B. Bedæ Confessoris tui atque Doctoris eruditione clarificas: concede propitius famulis tuis, eius semper illustrari sapientia, & meritis adiuuari. Per Dñum.

In secundis Vesp. S. Augustini Episcopi Confess. à Capitulo fit de S. Beda commem. praced. & S. Ioannis Papæ Mart.

In primo Noct. Lectiones. Sapientiam. *ut in Communi Doctorum.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

BEda Presbyter & Monachus Cænobij Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Anglia, cùm esset puer septem annorum sub magisterio Benedicti Abbatis in præfato monasterio nutriendus à parentibus traditur: in quo mirabiliter proficiens Doctor clarissimus effulsit. Anno vitæ suæ decimo nono, Diaconus factus est, trigesimo Presbyter: ex quo tempore usque ad ultimum vitæ suæ docere, aut scribere non destitit. Sicut enim ipse de se fatetur, nihil illi dulcius erat quàm diuinas legere sedulò, & exponere Scripturas. Nunquam torpebat otio, nunquam à studio cessabat, semper legit, semper scripsit, semper docuit, semper orauit, sciens quòd amator scientiæ salutaris vitia carnis facilè superaret. Vnde officium Abbatis oblatum nunquam

quam voluit suscipere, ne cura rei familiaris distractus ab amplexu spetiosæ Rachelis, vel ad modicum tempus cogeretur discedere.

℞. Honestum fecit illum.

Lectio vj.

ERat ei mos ex lectione vehementer accendi, & compungi, ita ut sæpè inter legendum & docendum lacrymas effunderet ardentes. Vnde post lectionem, & studium ad orationes Sanctus Doctor deuotus se conferebat, sciens magis Dei gratia, quàm proprijs viribꝰ ad Scripturarum scientiam pr[illegible]ueniri. Eius doctrina tanto pretio digna habita est, ut Sergius Papa ab urbe Roma Geolfrido eius Abbati scripserit, eum exhortans, ut absq; omni contradictione famulũ Dei Bedam ad limina destinaret Apostolorum, eò quòd eius præsentia in arduis causis fidei Ecclesiæ Dei valdè utilis esset, & necessaria. Scripsit prætereà de omnibus artibus, quas liberales vocant, tractatus plures, atq; pulcherrimos; Græcam linguam magna ex parte didicit, nec Hebraicam ignorauit. Habuit multos egregios discipulos, quos studio & exemplo ad amorem Scripturarum incredibili feruore prouocabat. Nec solùm studijs, sed quod ijs amplius est, religione, sanctitate, quos docuit, fecit insignes.

℞. Amauit eum Dominus.

Lectio vij.

ERat autem Beda decentis staturæ, incessu grauis, voce sublimis, ore facundus, & vultu decorus, & quadam iucunditate admixta seuerus. Vnde bonis & deuotis erat affabilis: superbis autem & negligentibus terribilis. Tãdem post multos labores, quos scribendo & docendo impenderat, animo toto ad patriam suspirans, in debilitatem incidit, continuisq; septem hebdomadis ante mortem stomachi indignatione laborans, & angusto spiritu halitum producens, studium nihilominùs litterarum nequaquam omisit: sed totis ijs diebus præter debitum psalmodiæ pensum, illi intẽdebat, Euangeliumq; Ioannis ijsdem diebus Ang[illegible]ica lingua interpretatus est. Feria autem tertia ante Ascensionem Domini, accita congregatione communicatus, &

unctus est, osculoq; cunctis libato futuram sui memoriã à singulis implorauit.

℟. Iste homo perfecit.

Lectio viij.

DIe tandem Ascensionis Domini contra oratoriũ, quo orare consueuerat, subiecto cilicio decumbens illibato sensu, & hilari vultu dicebat: O Rex gloriæ. Qua Antiphona finita spiritum efflauit sexto Kalendas Iunij, anno Dñi septingẽtesimo sexagesimo secundo. Mox tam suauissimus odor subsequutus est; ut omnes, qui aderant, in Paradiso se esse putarent: Vixit nonaginta annos, ex quibus octoginta tres in Monasterio egit. Huius eruditissimi viri opuscula, etiam, eo viuente, tantæ auctoritatis habebantur, ut iubentibus Ecclesiarum Prælatis, in Ecclesijs, & Conuentibus fidelium publicè legerentur: Hinc factum est, ut cùm in Homiliarum titulis viuentem non possent sanctitatis nomine appellare, Venerabilem nuncuparent, qui tunc titulus libris eius semel insertus, nunquam posteà deleri potuit.

℟. Desiderium animæ.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundùm Mathæum.

Lectio jx. *Cap. 5. b. 13.*

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyt.

In Euang. Vos estis sal terræ

IN terra humana natura, in sale sapientia verbis significatur. Salis enim naturâ terra efficitur infructuosa; unde quasdam urbes legimus victorum ira sale seminatas, & hoc conuenit Apostolicæ doctrinæ, ut sale sapientiæ compescat in terra humanæ carnis luxum sæculi, aut fæditatem vitiorum germinare. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? id est, si vos, per quos condiendi sunt populi, propter metum persecutionum, aut errorem amiseritis regna cælorum, extra Ecclesiam positi, inimicorum opprobria sustinetis non dubium. Vos estis lux mundi, id est, vos, quia vera luce illuminati estis, lux eis, qui in mundo sunt, esse debetis. Nõ potest ciuitas abscondi supra mon-

montem posita, id est Apostolica doctrina super Christum fundata, siue Ecclesia super Christum ex multis Gẽtibus fidei unitate constructa, & charitatis bitumine conglutinata ; quæ sit tuta intrantibus, & laboriosa adeuntibus : habitatores custodit, & omnes inimicos secludit. ℞. Iste est qui ante Deum.

Lectio x.

NEq; accendunt lucernam. Sub modio ergo lucernã ponit, quisquis lucem doctrinæ commodis temporalibus obscurat, & tegit ; super candelabrum verò, qui se ita ministerio Dei subijcit ; ut superior sit doctrina veritatis, quàm seruitus corporis. Aliter Saluator accendit lucernam, qui humanæ testam naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit, & hanc super candelabrum, id est Ecclesiam posuit, quod in frontibus nostris fidem suæ Incarnationis fixit. Quæ lucerna non potuit sub modio poni, id est sub mensura legis includi, nec in sola Iudæa, sed in uniuerso illuxit orbe.

℞. In medio Ecclesiæ.

Lectio xj.

SIc luceat lux vestra coram hominibus, quia expedit unicuiq; per opera bona placere Deo, & non hominum falso fauore gaudere. Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas, implere veni, quæ imperfecta fuerant, iram tollens, & talionis vicem excludens, & occultam mentis concupiscẽtiam prohibẽs. Amen quippe dico vobis ; donec transeat cælum & terra, Iota unũ, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Hæc enim transeunt, quando mutantur, in melius. Iota verò, quæ est cæteris litteris minor & apex, quæ est eius summa portiuncula ostendunt, quòd vel minima legis præcepta ad perfectum perducuntur, & quia omnia legis Sacramenta plena sunt gratiæ spiritualis. Aptè autẽ Iota gratiæ, & non Iod posuit Hebræum, quia Iota in numero decem exprimit, & decalogum legis enumerat, cuius quidem apex, & perfectio Euangelium est.

℞. Beatus vir.

Lectio xij. de S. Ioanne Papa & Mart. ex duabus una.

℞. Domine præuenisti. *ut in Breuiario.*

Nisi contingat hoc Festum transferri, tunc enim dicitur.

Lectio xij.

QVi enim soluerit unum de mandatis istis minimis. Minimum est mors Crucis, & qui secundùm id, quod soluerit alios docuerit, & nõ secundùm id, quod inuenit, & legit, minimus vocabitur in regno cælorum, vel fortasse, ibi non erit, ubi nisi magni esse non possunt. Potest & moraliter accipi; quia quamuis ex semetipsa Scriptura solui non possit, tamen qui non implet Dei mandatum, in semetipso soluit, & fit despectissimus in Ecclesia Sanctorum. Dico enim vobis; quòd nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum, & Pharisæorum, id est, nisi non solùm illa minima legis præcepta impleueritis, quod est iustitia Pharisæorum, ut non occidant, sed etiam ista, quæ à me addun-tur, quod est iustitia eorum, qui regnum DEI intraturi sunt, ut non irascantur cæleste regnum intrare idonei nõ estis.

℟. O Beati viri Bedæ.

Euangelium, de Communi Doctorum.

Lect. xij. de S. Ioanne Papa, & Mart. ex duabus una.

In Laudibus commem. S. Ioannis Papæ, & Mart. Missa Doctor. Oratio propria, commem. S. Ioannis, & Credo.

DIE I. IVNII.

In Festo S. ENNECONIS Abbatis, Duplex.

Omnia, ut in Communi Abbat.

ORATIO.

PRopitiare, quæsumus Domine, nobis famulis tuis per Sancti Confessoris tui Enneconis merita gloriosa: ut eius pia intercessione ab omnibus semper protegamur aduersis. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio v.

SAnctius maior Rex Nauarræ, & Castellæ, & Aragoniæ, considerans semper se de inimicis suis triumphasse, & omnes illos per circuitum suum sibi subiugasse: videns etiam, quòd post Maurorum inuasionem, laici, sæcularisq; ordo Ecclesias totiꝰ Hispaniæ haberent, eas Ecclesiasticis viris tradere decreuit. Et audiens B. Benedicti doctrinam ubiq; rutilare, cogitauit, qualiter in regionibus suis eam posset strictiori propagare obseruantia. Et mittens ad

Cluni-

Cluniacense cænobium, euocauit inde Abbatem Paternum, & cum illo gregem Monachorum, quos in Asceterio Sācti Ioannis Baptistæ, (quod nunc de Penna dicitur) constituit. Ex quo Monachos deinde quosdam elegit, quibus Onniæ Cœnobium à Sanctio comite socero suo constructum, pulsis ex eo auctoritate Apostolica Monialibus, tradidit incolendum. Sed Garcia primo Onniensi Abbate extincto, in eius locum Rex Enneconem virum apud Aragonenses sanctitatis opinione celeberrimum sufficere cogitauit.

℟. Honestum fecit.

Lectio vj.

AD quem Eremitarum vitam sub Monachi habitu agentem, cùm missis pluribus nuncijs, nihil profecisset, coactus est Rex per semetipsum accedere, eumq; multis precibus tandem exoratum Onniæ cænobio præfecit; quod plurimis muneribus donatū sub Ennecone Abbate, multò quàm anteà fuerat, reddidit illustrius. Enneco ergo verum Pastorem agens, Monachos docebat, pauperes alebat, ægrotantibus aderat, quæ sua erant oblitus, alienis profectibus inuigilabat. Vitæ sanctitati miracula accesserunt. Nobiles enim quidam, improbi tamen, qui Dei virum crebris iniurijs diuexauerāt, cùm anteà amicissimi semper fuissent, mutuis se posteà vulneribus confecerunt. Rustici etiam qui in colendo cœnobij agro viro Dei operam suam improbè negauerat, repentè hortus exaruit, qui mox iussu eiusdem aqua benedicta conspersus, in natiuum virorem ariditatem commutauit.

℟. Amauit eum.

Lectio vij.

IMpetrauit prætereà suis precibus à Domino largissimum imbrem, cùm tota illa regio æstu, & sterilitate laboraret. His igitur, pluribusque alijs miris in dies clarior Beatus Enneco apud Sotum longum extrà cænobium ægrotare grauiter cæpit. Cui, dum ad cœnobium deportatur, visi sunt occurrere eximia pulchritudine pueri, accensas lucernas præferentes; quorum laborem itineris miseratus ad circumstantes cōuersus eos hortabatur, ut pueros itineris labore fessos fouerent,

uerent, qui cùm nihil tale cernerent, proculdubiò Angelos esse cognouerunt.

℟. Iste homo.

Lectio viij.

INgrauescente deinde morbo, vocatos ad se fratres salutaribus monitis instruxit, Sanctissimisq; Ecclesiæ Sacramentis coram eis deuotissimè susceptis, in cælum euolauit Kalendis Iunij, anno Domini millesimo septuagesimo primo. Sepultusq; est in eodem cœnobio, ad cuius sepulchrum plurima miracula fiunt. Quapropter innumera hominum, utriusq; sexûs multitudo quotannis Kalendis Iunij ex ferè triginta illius regionis populis circumquaque constitutis, ad Onniæ Cœnobium cum solemni pompa conueniunt; Missarumq; Sacrificijs Deo ad S. Enneconis sepulchrum cum inuocatione eius oblatis, læti, & ouantes optima de præsentis anni ubertate spe concepta recedunt.

℟. Desiderium animæ.

In tertio Nocturno, Homil. Nolite timere pusillus grex. *ut in Communi Confess. non Pontif.*

Missa. Iustus ut palma. *de Cõmuni Confes. non Pontific. sine* Credo.

Oratio propria.

In ij. Vesp. comm. SS. Marcellini, &c. Mart. ut in Breuiár.

DIE V. IVNII.

In Festo S. BONIFACII Episc. & Martyris, Duplex.

Omnia de Commu. unius Martyris. Oratio. Infirmitatem nostram.

In secundo Nocturno.

Lectio v

BOnifacius natione Anglus, cùm adhuc puer quinq; annorum esset in quodam Cœnobio Ordinis S. Benedicti in Anglia, quod Muschella dicitur, à parentibus Domino seruiturus oblatus est: In quo sub disciplina Vuolfardi, ac posteà Vuigeberti Abbatum, proficientibus, eius ex tempore meritis, trigesimo vitæ suæ anno Sacerdotij gradum suscepit; tantumq; diuinis litteris studium impendit, ut Doctor omniũ opinione clarissimus haberetur, & esset. Tãdem amore Christi, & zelo animarum accensus, cum licentia sui Abbatis Traiectũ in inferiore Germania commigrans, per annos tredecim Frisonum, Francorumq; gentem in fide Catholica diligẽter instruxit.

℟. Honestum fecit.

Lectio

Lectio vj.

QVibus virtutibus illustris, à Gregorio Secundo Pontifice Summo Romam accersitus, ab eo Episcopus consecratur, secundo Kalendas Decembris, & Bonifaciꝰ dici voluit, cùm anteà Vuinfridus appellaretur; præstitoq; iuramento de fidei puritate conseruanda, Moguntinæ Ciuitatis primus Episcopꝰ designatus, ad illuminationē totius Germaniæ destinatur: unde Germanorum Apostolus dici meruit. Breui siquidem tempore, Franconiæ, Bauariæ, Thuringiæ, ac Saxoniæ populos Deo acquisiuit; ubiq; vitia extirpans, virtutes, templa, ac Monasteria plurima erigens, quibus ministros probatissimos præficiebat. ℟. Desiderium.

Lectio vij.

POstquam ergo decem & sex annis per Frisiam prædicasset, in Dockum Oppido, nunc Leouardiensis Diæcesis, anno Domini septingentesimo quinquagesimo quinto, nonis Iunij, ab Infidelibus oppresus martyrio coronatus est cum suis, quos plures, quàm quinquaginta in fidei prædicatione cooperatores habebat, in quibus triginta Monachi memorantur. Quorum omnium Sanctorū Martyrum corpora Traiectenses accipientes honorificæ sepulturæ tradiderunt. Sanctum tamen Bonifacium victi precibus Lulli Archiepiscopi Moguntiam remiserunt, quē ille in Fuldensi cœnobio ab eodem Bonifacio structo plumis insignem miraculis sepeliuit.

℟. Stola iucunditatis.

Lectio viij.

SCripsit S. Bonifacius vitas quorundam Sanctorum, & breues tractatus, opusq; insigne de virtutibus & vitijs versibus exaratum. Eius etiam scitè dictum de Sacerdotibus in Concilio Triburiensi refertur: Interrogatus enim, an liceret in vasculis ligneis Sacramenta cōficere, respōdit; Quondam Sacerdotes aurei, ligneis calicibus utebantur: nunc è contra lignei Sacerdotes aureis Calicibus utuntur.

℟. Posuisti Domine.

In iij. Noct. Homil. Si quis venit ad me. *ut in Communi unius Mart. Missa de Communi Pontif. & Mart.* Statuit. *sine* Credo.

In Vesp. à Capitulo de S. Norberto Episc. & Confessor. ut in Breuiar. Comm. S. Bonifacij.

DIE XIV. IVNII.

In Festo S. FELICIS Martyris, Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter ea, quæ hic sunt propria.

ORATIO.

DEus tuorum fortitudo Sãctorum, qui Beatum Felicem illustri martyrio, honorare dignatus es; te supplices exoramus; ut ipso pro nobis intercedente, fidem eius sectemur, in terris, & gloriæ participes efficiamur in cælis. Per Dominum.

Commemoratio SS. Viti, Modesti, atq; Crescentiæ Mart.

In primo Nocturno Lectiones. Tres Debitores. *de Communi plurim.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

FElix Monachus, ex oppido Complutensi progenitus, natione Getulus (est autem Getulia Africæ pars) & quadam occasione in Asturias deuolutus, ubi & fidem Catholicam, & Religionem Monasticam didicit, eodem die, quo S. Anastasius Præsbyter & Monachus capitis abscissione martyrium compleuit, Cordubæ in persecutione Arabica. Post quos virgo quædam adolescentula, nomine Digna, ex Collegio venerabilis Elisabeth Abbatissæ, Deo reuelante, & confortante, ad palmam processit. ℟. Honestum.

Lectio vj.

HOc namq; ordine hi tres vocati; Anastasius scilicet Presbyter, Felix Monachus, & Digna Virgo Beata, eodem die dispariter ceciderunt decimo octauo Kalendas Iulij, Era octingentesima nonagesima prima, qui est annus Domini octingentesimus quinquagesimus tertius. Deniq; hos sequens Benildis femina, ætate iam prouecta, sub professione cæterorum occubuit, decimo septimo Kalendas Iulij Era qua supra. ℟. Desiderium.

Lectio vij.

QVorum cadauera post aliquot dies ingenti concremata incendio, ad ultimũ fluuij proiectu dispersa sunt. At verò in S. Zoili, apud Carrionem nobile oppidum, Monasterio celebri Ordinis S. Benedicti corpus Sancti Martyris Felicis Complutensis,

ſis, in argentea theca ſeruatur, magnaq; Religione colitur. Eo enim ex Corduba traſlatum fuit à Comite Ferdinando Gomeſio, unà cum corpore S. Zoili Martyris; pro ut antiquiſſima eiuſdem Cœnobij monumenta teſtantur. ℞. Stola iucunditatis.

Lectio viij.

LIcet enim S. Felicis, & reliquorum Martyrum cadauera per ignem & aquam fuerint diſſipata, ne à Chriſtianis inuenta in honore haberentur, tamen pia Chriſtianorum ſedulitas oſſa non penitus incendio conſumpta, & in fluuium proiecta, inde extraxit, & aſſeruauit. Sanè regia diplomata vetuſtiſſima Monaſterio conceſſa, tria Sāctorum corpora recenſent, quæ ibi condita hodie quoq; cernuntur, ſcilicet Sanctorū Martyrum Zoili, & Felicis, & Sancti Agapij Confeſſoris. ℞. Poſuiſti Domine.

In tertio Nocturno, Homil. Si quis vult poſt me venire. *ut in Communi Martyr.*

Lectio xij. & Commem. in Laud. de SS. Martyr. Vito, & Socijs comm. eorum in Laud. & Miſſa.

DIE XX. IVNII.

In qua fit de S. Syluerio Papa, & Mart. commem. S. Florentinæ Virg. ut in Communi Virginum.

ORATIO.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, ut ſicut de Beatæ Florentinæ Virginis tuæ feſtiuitate gaudemus; ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

DIE XXIII. IVNII:

In qua fit de Vigilia S. Ioannis Bapt. commem. S. Ediltrudis Virginis.

ORATIO.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, ut ſicut de Beatæ Ediltrudis Virginis tuæ feſtiuitate gaudemus; ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum noſtrum.

DIE VII. IVLII.

In Feſto S. VUILLEBALDI Epiſcopi & Conf. Semidupl.

Omnia de Communi Confeſſoris. Pontificis.

ORATIO.

DA quæſumus omnipotens Deus, ut qui B. Vuillebaldi Confeſſoris tui, atque Pontificis ſolemnia colimus: eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominum noſtrum.

In ſe-

In secundo Nocturno.

Lectio v.

UVillebaldus Ricardi Anglorum Regis filius, Regnum terenum una cum Patre, & fratre Vuinebaldo, & sorore Vualburge, qui omnes sub Regula S. Benedicti monasticam egerunt vitam, cōtemnens, & pro Christi amore peregrinus factus, multis affulsit virtutibus. Hic cùm adhuc quinq; tantùm annorū esset, S. Benedicti Monachis in Anglia litteris & moribus imbuendus traditus, adeò profecit, ut vir sanctus & doctus euaserat.

℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

POst plures verò annos patriam deserēs Romam venit, deinde Hierosolymam profectus est; visitatisq; multis Sanctorum locis, in Italiam reuersus, decimoq; peregrinationis suæ anno, Casinensis Monachus efficitur. Sed à Gregorio Papa eius nominis tertio socius prædicationis in Germania Sancto Bonifacio primo Archiepiscopo Moguntino, & Martyri missus, in Euangelio prædicando multum cum eo laborans innumeras gentes ad Christum conuertit.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

QVare ab eodem Sancto Bonifacio auctoritate Apostolica primus Aureatensis Episcopus fuit ordinatus. Quo munere sanctissimè functus, multis virtutibus & miraculis clarus in Christo quieuit, nonis Iulij, Gregorij Tertij, & Zachariæ Romanorum Pontificum tempora assecutus, circa annum Domini septingentesimum trigesimum quintum.

℟. Iste est.

Lectio viij.

HVius reliquiæ unà cum corporibus S. Vuinebaldi eius fratris Abbatis Heidelmensis, & eorum sororis S. Vualburgis Abbatissæ, allatæ sunt ex Germania, anno Domini octingentesimo septuagesimo, per Balduinum Perreum Comitem, Furnisq; magno cum honore repositæ instituto ad id monasterio Ordinis S. Benedicti, quod nunc est Canonicorum Collegium Diœcesis Iprensis. Ex Sanctæ Vualburgis verò ossibus, oleum hodie in subiectū argenteum vas miraculosè defluit, quod multis grauibus morbis medetur. Eam eleuauit

uit primus Odogerus Episcopus consensu Adriani Secundi, qui eam iussit Sanctorum Cathalogo adscribi.

℟. Iustum deduxit.

In tertio Nocturno, Homilia in Euang. Homo quidam peregrè. *ut in Communi. Missa.* Statuit.

In ij. Vesp. à Capit. de sequenti Festo, cum commem. S. Vuillebaldi.

DIE VIII. IVLII.

In Festo S. CHILIANI Episcopi & Martyr. Semidupl.

Omnia de Communi unius Martyris. Oratio. Infirmitatem.

In secundo Nocturnò.

Lectio v.

CHilianus natione Hibernus, nobilibus ortus parentibus & à pueritia liberalibus studijs eruditus; diuina cum gratia præueniẽte, cunctis mundi illecebris spretis, monasticam vitam sub Regula Diui Benedicti, in Monasterio Huensi in Hibernia professus est. In quo quantæ obedientiæ, quantæ frugalitatis, quantæ in vigilijs, & orationibus instantiæ fuerit, vitæ præsentis terminus declarauit. Coactus à fratribus per gradus Ecclesiasticos ad Presbyteratus officium ascẽdere: ijsdem etiam cogentibus regiminis monasterij curam suscepit. Sed tamen sanctitatis eius fama longè latèq; crebrescente, à laudibus hominum sibi prudenter metuens, cum sibi benè notis socijs, præsulatu abdicato, soloq; natali relicto, Herbipolim tandem in orientali Francia peruenit, incredulis illius regionis gentibus Euangelium prædicaturus, simulq; sibi occasionem martyrij, quod magnoperè desiderabat paraturus. ℟. Honestum fecit.

Lectio vj.

A Prædicationis autem munere sanctè & religiosè interim abstinuit, donec se Romano Pontifici præsentaret: à quo, & integrum Christianæ Religionis dogma, & facultatem acciperet prædicandi. Romam igitur profectus, & à Conone Summo Pontifice Herbipolensis Episcopus ordinatus, cum Colomanno Presbytero, & Tornano Leuita Monachis, longissimo emenso itinere, ad locum sibi destinatum peruenit, ubi Diuini verbi prædicationem aggressus, Gosbertum prouinciæ Ducem idolis

anteà ſeruientem, cum pluribus alijs, ad Chriſti fidem conuertit. Dux ergo, beatiſſimi præſulis aſſidua adhortatione, multum in Chriſti religione proficiebat, ſed uxorem habebat Geilanam, quæ fratri ipſius fuerat anteà matrimonio copulata: quas nuptias Chilianus noluit Duci in ipſius fidei ſuæ initijs illicitas oſtendere, ne ea re abſterritus ſuſceptæ Religionis pœnitudine afficeretur.

℞. Deſiderium animæ.

Lectio vij.

NActus deinde opportunam Chilianus occaſionem, illicitum eſſe coniugiũ, illud Duci manifeſtat, ſimulque ſuadet, ut ea dimiſſa, nihilq; apud ſe priſtini erroris relinquens, integrum ſe Deo, quem agnouerat, reſtituat. Dum primò ægrè ferre, multaq; quominus dilectam ſibi coniugem relinqueret, cauſari: mox Chiliani ſuaſionibus mitior factus ei ſpopondit ſe ex itinere, quod aduerſus Reipublicæ hoſtes arripiebat reuerſum, eam ſtatim relicturum. Id ut agnouit Geilana, impotenti ira aduerſus ſanctum, eiuſq; ſocios accenſa, necem illis machinari cœpit; inuentiq; duo tanti ſceleris pretio conducti miniſtri, eos orationi ardentiſſimè inſtantes, quippè, qui diuina reuelatione ſe eadem hora martyrio nouerant coronandos, interfecerunt.

℞. Stola iucunditatis.

Lectio viij.

TAm immane facinus marito ex itinere reuerſo celare ſtudens Geilana, nihil profecit. Duo enim illi carnifices à dæmone arrepti, alterq; proprijs ſe dentibus lanians, alter verò ſuo ſe gladio confodiens ſcelus admiſſum, remq; omnem detexerunt. Geilana deniq; ſæuiſſimè à dæmone cruciata, Chilianum ſibi, quem iniuſtè occiderat, nimis infeſtum vociferans, horrenda morte vitã finiuit. Horum martyrum corpora ſanctus Burchardus, ex Monacho Ordinis S. Benedicti Herbipolenſis Epiſcopus, à terra eleuauit, & in Baſilica à ſe erecta recondidit, à Romanoq; Pontifice impetrauit, ut eiſdem honor ſanctis martyribus debitus deferretur. ℞. Poſuiſti.

In tertio Nocturno, Homilia. Si quis venit ad me. *ut in Communi.*

Miſſa.

Missa. Statuit. *de Communi unius Martyris Pontificis.*

DIE VI. AVGVSTI.

In Festo SS. STEPHANI, & Ducentorum Monachorum Charadignæ. Duplex. (*fuit heri.*)

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter hæc propria.

ORATIO.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres, Stephanũ Abbatem & socios eius monachos, fortes in sua confessione cognouimus; pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones. Fratres debitores. *ut in Communi plurimorum Martyrum.*

In secundo Nocturno.

Ex Bulla SS. D. N. Papæ Clementis Octaui.

Lectio v.

TEmpore, quo Arabum sæua tyrannis in Hispania Christianos affligebat, atque Zafa eorum Rex impius Castellæ prouinciam deuastabat, potissimùm verò Dei seruos fidei Christianæ propugnatores viros religiosos, quos sciret esse ipsorum execrabilis sectæ acerrimos impugnatores, vehementer exagitaret, inter alios venerabiles monachos, qui diuersis in locis Hispaniarum, propensiori cultu Deo seruientes, eorundem persecutionibus premerentur, feliciores illi fuere, qui apud Burgos in Monasterio S. Petri de Charadigna, Ordinis Sanctissimi Patris nostri Benedicti, egregia vitæ sanctitate florentes, digni inuenti sunt, qui omnes simul ducenti numero ad martyrij coronam promouerentur à Domino IESV Christo. ℟. Sancti tui.

Lectio vj.

HI enim sub Stephano Abbate ab ipso viro Sanctissimo ad spiritualem palæstrã iugiter exercitati, & carnem vincere, mundum contemnere, & debellare äereas potestates, edocti, audientes eosdem adesse Arabes ministros Satanæ, ipsorum sanguinem sitientes, nullam suscipere voluere redemptionem, ut meliorem inuenirent resurrectionem; sed unanimes, Dei armatura potentes, spiritu feruentes, ad quæq; mala subeunda perstitere constantes: probeq; intelligentes, quòd non sunt condignæ passio-

passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, mutuis se exhortationibus ad subeundum martyrium roborarunt, atq; assiduis precibus munierunt.

℟. Verbera carnificum.

Lectio vij.

SIc igitur Diuina gratia cõfirmati, in Monasterij claustro fortes animo consistentes, summa patientia irruentes excepere carnifices: à quibus singuli crudeliter iugulati, optatam coronam martyrij perceperunt, octauo Idus Augusti, feria quarta, anno salutis octingentesimo vigesimo quarto. Sepulti sunt ibidem Sancti Martyres à Christi fidelibus, qui illuc conuenere, postquam funesta Arabum cohors inde recessit.

℟. Tanquam aurum.

Lectio viij.

DEus autem, qui suos milites non solùm coronat in cælis, sed & in terris efficit gloriosos, ad ipsorum martyrium gloriam, locum illum celebri miraculo illustrauit, dum pluribus subsequentib9 annis, die anniuersaria ipsorum cædis, tanquam recenti cruore aspersum eumdem rubentem ostendit, sed & iam penè extinctam iniuria temporum, ipsorum memoriam reddidit sua auctoritate Sedes Apostolica rediuiuam, atq; eam celebrandam omnibus fidelibus repræsentat.

℟. Certamen magnum.

In tertio Noctur. Homiliá in Euang. Cùm audieritis. *ut in Communi. Lectio xij. de S. Donato, ut in Breuiario, cum commemoratione in Laud.*

In ij. Vesp. fiat comm. Sanctorum Mart. Cyriaci, Largi, & Smaragdi, ut in Breuiario.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

S. Columbæ Virginis & Martyris, Duplex.

Omnia de Communi Virg. & Mart. præter ea, quæ hic sunt propria.

Oratio.

OMnipotens sempiternæ Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæq; confundas: concede propitius: ut qui Beatæ Columbæ Virginis & Martyris tuæ solemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Edithæ Virginis.

Ora-

ORATIO.

DEus, qui nos annua Beatæ Edithæ Virginis tuæ solemnitate lætificas, da, ut quã veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per Dominum.

Lectio v.

COlumba Virgo ex Oppido Cordubensi, nobilis & decora, cùm inter bona parentum tenerrimè in annis puellaribus degens propositũ Elisabeth sororis sanctimonialis agnosceret, confestim terrena omnia spernere desiderat; sed aduersatur puellæ intentioni genitrix, quæ illam nuptijs destinauerat; sed cùm nec illa consentiret, nec mater desisteret; ipsa mater, Dei prouidentia, ex improuiso mundo exempta decessit. Remanet itaq; Dei famula, non tam matris obitu contristata, quàm lætior gratia suæ deuotionis, sine cuiusquam præiudicio adimplendæ. In Tabanensi ergo Cœnobio virgo se terrenis exuens, hæret cælestibus, & mentem ad studium Scripturarum conuertens, fit admodum erudita.

℞. Propter veritatem.

Lectio vj.

SVb regimine itaq; sororis suæ manens, meritis, & gratia honestatis, omnibus præiuit; sæpè enim ternas, & quaternas horas, nec non usq; ad medium diem orationi incumbebat, & cùm nulla resonarent suspiria, nec ullus singultus audiretur, in magno tamen silentio clamabat ad Dominum, & diuina suauitate perfusa, in lacrymas effluebat, adeò ut perennes aquarum rivuli ex oculis emanarent, quibus locus, in quo orabat, irrigabatur.

℞. Dilexisti iustitiam.

Lectio vij.

VErùm Beata Virgo quasi parua esset hæc omnia, ad Martyrij coronam aspirabat quibusdam reuelationibus ad id frequenter impulsa. Quare in forum digrediens, cùm ad iudicem peruenisset, emissa Christianæ fidei professione, iniqua Mahometi, dogmata constantissimè redarguit, cuius speciem, verbaq; miratus iudex, illicò eam in palatium ducens, Satrapum Concilio repræsentat. Qui cùm fortissimam Virginis cõstantiam mirarentur, neq; eius reprehensionem ferre valerent, continuò ante fores

 Pala-

Palatij eam trucidari præcipiunt. Quæ non se priùs decollari permisit, quàm præmio lictorem tamquam insignem benefactorem honoraret. Sic è vinculis corporis capitis abscissione soluta martyr gloriosa volauit ad sponsum, quinto decimo Kalendas Octobris, Era octingentesima nonagesima prima, qui est annus Domini octingentesimoquinquagesimo tertius ℞. Prudētes Virgines.

Lectio viij.

NEc mora, ut erat lineis indutum cadauer, sporta immissum, alueo proijci principes mandauerunt. Quod post sextum diem illæsum & integrum, quorumdam solertia Monachorum inuentum, digno Officio in Basilica Sanctæ Eulaliæ Virginis & Martyris honorabilem meruit sepulturam.

℞. Afferentur Regi.

In tertio Nocturno, Homilia in Euang. Simile erit regnum cælorum decem Virginibus. *ut in Communi.*

Pro Sancta Editha Virgine.

Lectio xij.

EDitha Virgo, Edgari Anglorum Regis filia, matris Vulfrudis exemplum secuta, virtutum æmula, in Monasterio Vuilthoniensi à teneris annis Deo dicata, cucullóq; Sancti Patris Benedicti induta; sæculum potiùs ignorauit, quàm reliquit, litteris, & assidua lectione Sanctorum excelluit. Virtutibus ornata, præcipuè humilitatem, sororibus inseruiendo, mirificè coluit. In pauperes, in hospites, in egenos propesissima, liberis Regis leprosos anteferebat, & quantò quis vilior, & deformior appareret, tantò ad eidem inseruiendum promptiorem se gerebat. Regnum, mortuo Patre, & Eduardo fratre, à proceribus Regni non solùm oblatum, sed etiam per vim ut acceptaret procurantibus, recusauit. Demùm prænunciato à Sancto Dunstano suæ mortis die, feliciter ad sponsum euolauit.

℞ Veni electa mea.

Commemoratio eius in Laudib. & Missa. In secundis Vesperis commemor. S. Thomæ de Villanoua Conf. & Episc.

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

In Festo SS. IANUARII, & Sociorum eius.

Commem S. Theodori Episcopi, & Confessoris.

ORA-

ORATIO.

EXaudi quæsumus Domine preces nostras, *ut in Communi Confess. Pontificis.*

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

Sancti GERARDI Episcopi Martyris, Duplex.

Omnia de Communi Martyr. præter quintam Lectionem.

Oratio. Infirmitatem.

Lectio v.

GErardus Venetijs ex Sagreda Patritia Familia natus, ab ineunte ætate diuino cultui deditus Monasticum amplexus est institutum sub Regula Sancti Benedicti in Monasterio S. Georgij Maioris Venetiarum; in quo diuinis contemplationibus vacans flagranti animo concupiuit Dominicum sepulchrum inuisere. Cum igitur in Palæstinam tenderet peruenit in Pannoniæ partes, ubi tunc pijssimus Rex Stephanus regnabat, à quo benignè exceptus primùm Eremiticā vitā duxit. Mox Episcopus creat⁹ commissas sibi oues verbo & exemplo pascere nunquā destitit, donec in persecutione Christianorum, quæ in Pannonia; ut ipse prædixerat post Sanctissimi Regis obitum secuta est; lapidibus obrutus, Martyrij palmam obtinuit, atq; sanctitate doctrina & miraculis clarus, Hungarorum Apostolus meruit nuncupari.

Lectio vj. vij. *&* viij. *de Serm. S. Aug.* Triumphalis. *de Communi unius Mart.*

Homil. in Euang. Si quis venit ad me.

DIE V OCTOBRIS.

In Festo SS. PLACIDI & Sociorum Martyrum.

Commem. S. Athiliani Episc. & Confessoris.

In Laudibus, & Missa. Oratio. Da quæsumus. *ut in Communi Confes. Pontificis.*

DIE X. OCTOBRIS.

In Festo S. PAULINI Episcopi & Confess. Semidupl.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea, quæ hic sunt propria.

ORATIO.

EXaudi, quæsumus Domine, preces nostras, & intercedente B. Paulino Confessore tuo atq; Pontifice, supplicationes nostras placatus intende. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio v.

PAulinus, Monachus Romanus, S. Gregorij Papæ discipulus, cum Augustino, &

Socijs prædicationis gratia in Angliam missus, primùm à Iusto Cantuariensi Archiepiscopo Nordanhumbrorum Episcopus, id est Anglorum eorum, qui ad Aquilonarem Humbri fluminis plagam habitabant. fuit ordinatus, & ad eos missus, unà cum Edelburga Edelberti Cantuariorũ Regis filia, hac lege cum Eduino eorum Rege, adhuc ethnico nuptura, ut liceret Reginæ, suisque comitibus Christiano more viuere, promittente etiam Rege, se, Christiana religione diligenter examinata, si sanctior, & Deo dignitor inueniretur, Christianum futurum.

℟. Inueni Dauid.

Lectio vj.

QVasi comes igitur puellæ nupturæ, Paulinus adueniens, ipse potiùs totis viribus intendebat, ut gentem quam adibat, ad agnitionem veritatis aduocans, iuxtà vocem Apostoli, uni viro virginem castam exhiberet Christo. Primam ergo, quam ex Edelburga Eduinus suscepit filiam, statim Rege ipso annuente, baptizauit, deinde Regem in amplectenda Christiana fide cunctabundum instando impulit, ut ea de re cum suis deliberaret, qua in deliberatione, adeò strenuè se gessit Paulinus, ut idolorũ Pontificibus primum ad fidẽ conuersis, mox Rex abrenunciata Idololatria Christi fidẽ lætus susceperit: Vnusque ex Idolorum sacerdotibus, equo conscenso, & lancea arrepta, eaq; in fanum immissa, ad idolorum euersionem reliquos animauerit.

℟. Posui adiutorium.

Lectio vij.

REx igitur tumultuario opere ligneam Basilicam Eboraci, in qua sanctum baptisma ab eodem Paulino suscepit, statim erigens, eam deinde lapideam in honorẽ S. Petri Apostolorum Principis construẽdam curauit. Sedemq; Episcopatus esse voluit. Ex quo tantus fertur tunc fuisse feruor fidei, ac desiderium lauacri salutaris, ut post omnem Prolem Regiam eo purificatam, triginta sex diebus continuis aliquando Sanctus Paulinus, in gentibus illis catechizandis, & in flumine Gleno baptizandis, à manè usq; ad vesperam, sine intermissione aliqua, improbo, sed pio studio, desudauerit.

Quin

Quin & ad meridianã Humbri fluminis plagam diuertẽs, eiq; genti Euangelium prædicans, Bleccam Lindacolinæ Ciuitati Præfectum, cum tota domo ad fidem conuertit, Baſilicamq; lapideam erexit, in qua quotannis multa miracula fiebant.

℞. Iſte eſt qui ante Deum.

Lectio viij.

ADiutus eſt in hiſce pietatis operibus Paulinus maximè Bonifacij Quinti, & Honorij primi Romanorum Põtificum litteris, ad Eduinum Regem, & eius coniugem exhortatorijs, à quorum altero, ipſe quoq; pallium accepit. Sed Rege in bello occiſo, magnaq; in Nordanhumbrorũ Eccleſia ſtrage ſubſecuta, S. Paulinus, accepta ſecum Regina, Cantium, unde digreſſus primò fuerat, reuerſus eſt. Vbi Roffẽſis Eccleſiæ Paſtore deſtitutæ curam ſuſcepit, ac tenuit, donec & ipſe, ſuo tempore, ad regna cæleſtia, cum glorioſi fructu laboris, aſcẽdit Sexto Idus Octobris, anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo quarto.

℞. Iuſtum deduxit.

In tertio Nocturn: Homil. in Euang. Vigilate, quia neſcitis. *in Communi Pontif.*

DIE XV. OCTOBRIS.

S. TERESIæ Virginis. Duplex.

Omnia ut in Breuiario.

Pro SS. THECLA, & S. BRUNONE Episc. & Martyr.

Lectio ij.

SAnctus Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus, Germaniæ Apoſtolus & Martyr; cùm apud Turingos, & Heſſos prædicaret, cernens multam quidem illic extare meſſem, ſed operatores eſſe paucos, & qui tantæ credentium multitudini inſtituendæ non ſufficerent (centum mille enim animas conuertit ad Chriſtum) miſit in patriam ſuam Angliam, & acciuit inde non modò viros religioſos, & multijugi eruditione præſtantes, ſed etiam feminas. In quibus præcipuè nominantur Cunigundis Sancti Lulij matertera, & eius filia Bertgitis, item Cunitridis, Thecla, Lioba, & Vualburgis ſoror Sanctorum Vuilibaldi, & Vuiuibaldi: omnes liberalibus ſcientis eruditæ, quæ apud Thuringos virtutis magiſtræ ſunt conſtitutæ. Cunitrudis miſſa eſt in Baioariam, ut verbi Diuini ſementem illic faceret, Liobam virginibus ſacris apud Biſchofeshe-

mium præfecit, Theclam deniq; apud Moganum fluuium Kisingæ, & Ochnofurti voluit manere. Quæ Virginum Abbatissa constituta, quasi lucerna in caliginoso loco lucens, plures ad Monasticæ vitæ amorem & imitationẽ suo exẽplo prouocauit. Denique cùm multas Christo animas acquisiuisset, quieuit in Domino Idibus Octobris. Claruit anno salutis septingentesimo trigesimo. Eodẽ die natalis etiam S. Brunonis Episcopi Ruthenorũ & Martyris, ex monacho nostri ordinis, qui Euangelium in ea regione prædicans, ab impijs tentus, manibus pedibusque præcisis, capite truncatus est anno Domini millesimo octauo, indictione sexta.

℟. Simile est regnum.

Pro Commemor. S. Brunonis. Oratio. Infirmitatem. *de Communi.*

Pro Sancta Thecla.

Oratio.

DEus, qui nos annua Beatæ Theclæ Virginis tuæ solemnitate lætificas, da, ut quam veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per Dominum nostrum.

DIE X. NOVEMBRIS.

In Festo S. Iusti Episcopi & Confessoris. Semiduplex.

Omnia ut in Communi Confessoris Pontificis.

Lectio v.

IVstus Monachus, S. Gregorij Magni discipulus, missus ab eo cum Mellito in Angliam, primùm à B. Augustino Archiepiscopo Cantuariensi Episcopus fuit Roffensis ordinatus: sed Augustino defuncto, cùm gens illa ad Idololatriam redijsset, Iustus, & Mellitus Londinensis Episcopus in Galliam, ne frustrà multam operam in Anglia consumerent, recessere; unde posteà à S. Laurentio, qui B. Augustino in Episcopatu successerat, reuocati, ad suas Ecclesias instituendas redire iussi sunt. ℟. Inueni.

Lectio vj

IVstus ergo ad Ciuitatem Roffi, cui præerat rediens, multos pro Christo sustinuit labores, multisq; miraculis claruit. Deniq; ex humanis etiam sublato Mellito, qui Laurentio fuerat in Cantuariensi Archiepiscopatu suffectus, in eius locum successit Iustus, Romanumque pro se Roffensem consecrauit Episcopa-

ſcopum, data ſibi ordinandi Epiſcopos auctoritate à Bonifacio Papa, à quo palliũ etiam accepit.

℟. Poſui adiutorium.

Lectio vij.

LItterarum autem Bonifacij Papæ hoc eſt initium; Dilectiſſimo fratri Iuſto Bonifacio; Quàm deuotè; quàmque etiam vigilanter pro Chriſti Euangelio elaborauerit veſtra fraternitas, non ſolùm Epiſtolæ à vobis directæ tenor, immò indulta deſuper operi veſtro perfectio indicauit. Et infrà. Pallium præterea per latorem præſentiũ fraternitati tuæ benignitatis ſtudijs inuitati direximus, concedentes etiam tibi ordinationes Epiſcoporum, exigente opportunitate, ut Chriſti Euangelium plurimorum annunciatione, in omnibus Gentibus, quæ necdum conuerſæ ſunt, dilatetur.

℟. Iſte eſt.

Lectio viij.

IVſtus deniq; poſtquam ingenti fructu, æterno cum merito, Angliæ populos, ipſorumq; Regem in Catholica fide firmaſſet, vicinoſq; etiam ad fidei ſocietatem pellexiſſet, ut Iuſti nomine operibus conſone, corona aduenirer iuſtitiæ, de hac vita ad immortalem vocatus, occubuit quarto Idus Nouembris, circa annum Domini ſexcenteſimum trigeſimum ſecundum: ℟. Iuſtum deduxit.

In tertio Nocturno, Homil. in Euangel. Homo peregrè. *de Communi. Lectio xij. de Sanct. Triph. &c. Mart. cum* ℟. Abſterget Deus. *ut in Breuiar.*

Et eorum commem. in Laudib. Miſſa. Statuit. *de Communi Confeſſ. Pontificis.*

Veſp. de S. Martino Epiſc. & Confeſ. & fit commem. de S. Iuſto, deinde de S. Menna Mart. ut in Breuiario.

DIE XVII. NOVEMBRIS.

S. GERTRUDIS Virg. Abbatiſſæ, Duplex.

Omnia de Communi Virgin. præter quæ ſequuntur.

ORATIO.

DEus qui in puriſſimo corde B. Gertrudis Virginis tuæ iucundam tibi habitationem præparaſti, eius meritis & interceſſione cordis noſtri maculas clementer abſterge, ut digna Diuinæ Maieſtatis tuæ habitatio effici mereatur. Per Dominum.

De Canticis Canticorum.

Lectio j.

Ego

EGo flos campi & lilium conualium. Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideraueram sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo: Introduxit me in cellam vinariam ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Lectio ij,

QVis mihi det te fratrem meum, fugientem ubera matris meæ ut inueniam te foris & deosculer te & iam me nemo despiciat. Apprehendam te & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculũ ex vino condito & mustum malorum granatorum meorum.

Lectio iij.

LÆua eius sub capite meo & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem ne suscitetis neq; euigilare faciatis dilectã donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum.

Lectio jv.

POne me ut signaculum super cor tuum, ut signaculũ super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis, atq; flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eam.

In secundo Nocturno.

Lectio v.

GErtrudis Virgo Islebij in Comitatu Mansfeldiensi nobilissimis parentibus nata, quinquennis Christo cui iam nubilis erat & matura, in Monasterio Vrbis Rodardæ Ordinis S. Benedicti, virginitatem suam consecrauit. Ab ipso in Religionem ingressu Angelicæ vitæ rationem iniit, & literis humanioribus ac diuinis apprimè exculta; ad eam doctrinæ perfectionẽ peruenit, quam eruditissimi quiq; meritò susciperent. Eximia eius fuit contemplatio in qua multis reuelationibus ac visis cælestibus à Deo illustrata, eodem inspirante libros Diuinæ sapientiæ plenos conscripsit. Lectio

Lectio vj.

QVamuis autem tántis naturæ & gratiæ dotibꝰ eniteret, diuinis frueretur colloquijs; prophetiæ dono, & plurimis esset insignita miraculis adeo tàmen sibi ipsa vilescebat, ut inter præcipua diuinæ virtutis miracula, hoc unum singulare crederet, quod se indignissimam, ut dictitabat, terra peccatricem sustineret. Dum annum ageret trigesimum, in Abbatissimam primùm eius Monasterij, deinde Elpediani, siue ut vocant Elphiani electa est. Quo in munere per quadraginta annos, ea charitate, prudentia, & regularis disciplinæ integritate se gessit, ut Cœnobium domus Dei esse videretur; in qua corporati Angeli viuerēt sub Gertrude Magistra: quæ quamuis esset omnium Mater, omnium tamen se ministram exhibebat.

Lectio vij.

CÆlestis sponsus in eius purissimo corpore delicias collocauit, cui suorum etiam vulnerum stigmata igneo amoris stylo Diuinus cælator inussit. Hinc illa nihil nisi Christum loquebatur quem in corde gestabat, qui nusquã se conuenientius quàm in Sacramento Altaris, ac deinde in huius suæ dilectæ corde, & anima inueniendum pronunciauit. Eiusdem charissimæ sponsæ sanctitatem diuini oris sui confirmauit oraculo, cum testatus est nullam tunc temporis animam in terris viuere, quæ ut illi coniunctior, ita gratior esset & acceptior.

Lectio viij.

DEiparam Virginem peculiari beneficio in Matrem & procuratricem sibi à Christo datam, quam cum alijs Cæli Ciuibus frequenter habebat spectabilem singulari pietate prosequebatur. Erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum & Christi passionem, tanto amoris & gratitudinis sensu afficiebatur, ut tota lacrymis liquesceret. Animas piacularibus flammis addictas quotidianis suffragiis & assiduis precibus sublevabat. Zelo Diuini honoris promouendi, & procurandæ salutis proximi iugiter ardebat. Cum igitur feruentissimo Dei amore potius quàm morbo langueret, huic Christus Sanctissima Matre, dile-

ctoq; discipulo, & candidissimo Virginum choro comitatus adfuit, & eius animam corporis solutam compagibus, ac mirabili corporis explicatione intra cordis sui penetralia receptam, ad cælestem thalamum traduxit.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectio jx.

IN illo tempore: dixit IESUS discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum cælorum decem Virginibus quæ accipiētes lampades suas exierunt obuiam Sponso & Sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *serm. 23. de verbis Domini cap. 2.*

INtelligamus, charissimi, ad omnes nos, id est uniuersam omnino Ecclesiam istam pertinere parabolam, non ad solos præpositos, nec solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quinq; istæ, & quinq; virgines, omnes omninò sunt animæ Christianorum. Sed ut dicamus vobis, quòd Deo inspirante sentimus, non qualescunq; animæ, sed tales animæ quæ habent Catholicam fidem & habere videntur bona opera in Ecclesia Dei & tamen ex ipsis quinq; sunt prudentes & quinq; fatuæ.

Lectio x.

QVare ergo appellatæ sunt quinq;, & quare virgines, prius videamus. Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinq; sensibus utitur. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem Virginis nomen accepit. Sed si bonũ est abstinere ab illicitis sentiendi motibus, & ideo unaquæq; anima Christiana Virginis nomen accipit: quare quinq; admittuntur, quinque autem repelluntur.

Lectio xj.

ET Virgines sunt & repelluntur. Parum est quia virgines sunt & lampades habent? Virgines propter bona opera de quibus operibus Dominus dixit: Luceant opera vestra coram hominibus: Item discipulis dicit: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona. Si ergo ab illi-

illicitis abstinentia bona est; unde virginitas nomen accepit; & opera bona laudabilia sunt, quæ significantur lãpadibus; quare quinq; admittuntur & quinq; repelluntur?

Lectio xij.

ALias dixit prudentes, alias stultas. Vnde intuemur; unde discernimus? De oleo. Aliquid magnum significat oleum, & valde magnũ. Putas num charitas est? Quærendo dicimus, non sententiam præcipitamus. Vnde mihi videatur per oleum charitas significari, dicam vobis. Apostolus dicit: adhuc supereminentiorem vobis viã demonstro. Si linguis hominum loquar & Angelorũ, charitatẽ autẽ non habeam, factus sum æramentum sonans aut cymbalum tinniens Ipsa est supereminens via, id est charitas quæ merito oleo significatur: omnibus enim humoribus oleum supereminet.

DIE XIII. DECEMBRIS.

Vesp. de S. Luciâ, Capit. de S. Dominico, & S. Dominici Abbatis Silensis, Duplex ut in Communi.

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiam tuam B. Dominici Confessoris tui præclaris vitæ meritis decorasti, & in liberandis captiuis, gloriosis lætificasti miraculis; concede nobis famulis tuis, ut & ipsius instruamur exemplis, & ab omni seruitute, eius patrocinio, liberemur. Per Dominum.

Commem. S. Luciæ & fer.

In primo Nocturno Lectiones de Feria occurrente, nisi hoc Festum incidat in Feriam Quatuor Temporum, tunc enim leguntur Lectiones. Iustus si morte. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

In secundo Nocturno.

Lectio v.

DOminicus Abbas honestis parentibus natus est Cannis, oppidulo ad radices Iubedæ montis, in Cantabris. Quem ab ipsa pueritia mirus monasticæ vitæ ardor occupauit: adeò ut relicta gregis paterni cura in solitudinem secesserit. Sed cùm parum ei tuta videretur illa solitudo, insigne S. Æmiliani Cænobium adijt: ubi cùm diu sub habitu, & disciplina monastica vixisset magna sanctitatis opinione, Ecclesiæ Cannarum regendæ præficitur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodiuit eum ab

ab inimicis, & à seductoribꝰ tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnũ Dei. Et dedit.

Lectio vj.

INde in Cænobio S. Æmiliani reuocatus, Prior efficitur. Verùm dum Cantabrorum Regi, quædam à Cœnobio iniustè exigenti constantissimè resistit, ab eodem in Iubedæ montis inuia, duobꝰ monachis comitibus actus est; qui eius furori cedere cupiens ad Ferdinandum Castellæ, & Legionis Regem eius nominis primum, se contulit. Qui Viri Dei sanctitate motus, illum ad se adeuntem benignè, & honorificè excepit, & Cœnobio S.Sebastiani præesse voluit, addito ab Episcopo Diœcesano Abbatis titulo.

℟. Amauit eum Dominus, & ornauit eum: stolam gloriæ induit eum. * Et ad portas paradisi coronauit eum.

℣. Induit eum Dominꝰ loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas.

Lectio vij.

ERat autem ipse locus infrequens utpotè qui sterilibus quibusdam Iubedæ mõtis collibus subiaceat, qua mons ipse Celtiberos tangit. At claritate miraculorum, quæ quotidie per seruum suum Dominicum operabatur Deus, tam celeber, ac frequens factus est, ut eo tempore per Hispaniam nullus illustrior esset. Nulla enim fermè morborum genera erant, quæ Dominici precibus ab hominum corporibus non pellerentur. Vnde Cœnobio in augustiorem formam erecto, magno etiam monachorum numero coaluit, Regibus, ac populis multa illa certatim offerentibus.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi iustum coram me ex omnibus Gentibus.

℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & peruenit ad cælestia regna, Quia te.

Lectio viij.

QVin etiam singulari priuilegio seruum suum insigniuit Dominus, ut Christiani, qui apud Mahometanos vincti, multis ferri ponderibus tenebãtur, inuocato Dominico, liberarentur. Demum

mum graui morbo correptꝰ, Ecclesiæ Sacramentis deuotissimè susceptis migrauit ad Dominum, Anno Dñi millesimo septuagesimo quarto. Eo autem die quo migrauit à corpore, visa est à quibusdã illius anima triplici corona decorata in cælum subuolare. Corpus verò eius in eodẽ Cœnobio conditum, hodie cernimus quod S. Dominicũ de Silos appellamus. Ad cuius sepulchrum orans Ioanna, Felicis Guzmani uvor, olim infæcunda, filium impetrauit, cui Sancti huius Viri propterea nomen imposuit; Quod quidem ipse mira vitæ sanctitate, sacroq; Prædicatorum ordine instituto, multò reddidit illustrius, quàm accepit.

℟. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

℣. Vitam petijt à te, & tribuisti ei Domine. Et voluntate.


Gloria Patri. Et voluntate.

In tertio Nocturno, Homil. in Euangel. Ecce nos *de Communi.*

Missa Abbat. Os iusti. *cum* Credo, *si celebretur infra oct. Concept.*

Si hoc Festum venerit in die quatuor Temporibus Lectio xij. legatur de Homil Feriæ, de illa fit commem ad Laudes.

Vesp. à Cavit. de Concept. ut in primi festi commem. S. Dominici, & fer.





Ordinis S. Benedicti Congregationis Hispaniarum Vallis Oletanæ.

SAcra Rituum Congregatio, referente Eminentiſ. D. Cardin. Bona, præcedentibus enixis, atque reiteratis precibus Patris Magiſtri Fratris Ildephonſi de Mièr, Ordin. S. Benedicti, Cōgregationis Hiſpaniarum Vallis Oletanæ Procuratoris Generalis, nec non Sacrarum Congregationum, Sanctæ Romanæ uniuerſalis Inquiſitionis, ac Rituum Qualificatoris, & Conſultoris, indulſit, atque conceſſit omnibus Monaſterijs utriuſq; ſexûs præfatæ Vallis Oletanæ Congregationis, ut liberè, & licitè poſſint celebrare Feſta Sanctorum Monachorum prædicti Ordin. S. Benedicti Congregationis Vallis Oletanæ, & Angliæ, cum Officijs, Lectionibuſq; proprijs, & Orationibus, &c. ab eadem Sacr. Rit. Congregatione maturè perpenſis, & diligenter diſcuſſis, atq; approbatis, ut iacent inſcripta in retroſcripto Codice, & Kalendario. Placuitq; eidē Sacræ Congregationi Rituum, nomina præfatorum Sanctorum prædicti Ordinis hic exprimere, ut prædicta Officia ſic imprimi poſſint ſub ordine, & ritu in prædicto retrò Codice præfixis, videlicet Sanctorum, Benedicti Abbatis, Ildephonſi Epiſcopi, Adelelmi Abbatis, Laurentij Epiſcopi, Helladij Epiſcopi, Leandri Epiſcopi, Rudeſindi Epiſcopi, Suitberti Epiſcopi, Veremundi Abbatis, Vincentij Abbatis & Martyris, Ramiri & Sociorum Martyrum, Iſidori Epiſcopi, Turibij Epiſcopi, Anſelmi Epiſcopi, Melliti Epiſcopi, Genadij Epiſcopi, Auguſtini Epiſcopi, Bedæ Præsbyteri, Enneconis Abbatis, Bonifacij Epiſcopi & Martyris, Felicis Martyris, Florentinæ Virginis, Ediltrudis Virginis, Vuillebaldi Epiſcopi, Chiliani Epiſcopi & Martyris, Tranſlationis S. P. Benedicti cum Octaua, Stephani & Sociorum Martyrum, Edithæ Virg. & Martyris, Columbæ Virg. & Martyris, Theodori Epiſcopi, Attiliani Epiſcopi, Paulini Epiſcopi, Theclæ Virginis, Brunonis Epiſcopi & Martyris, Iuſti Epiſcopi, Dominici Abbatis, Feſto-

rum

rum Transitus S. Benedicti, & S. Scholasticæ cum Octaua, etiam quando eorum Officia celebrantur in Quadragesima, Hac die 12. Septembris, 1674.

F. M. Episc. Portuen. Card. Brancatius.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congr. Secret.

Congregationis Casinensis Ord. S. Benedicti.

Sacra Rituum Congregatio ad pias preces Eminentissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Casanatæ porrectas pro Patre D. Sebastiano à Mediolano Abbate, & Procuratore Generali tam nomine proprio, quàm Capituli Generalis Congregationis Casinensis, Ordinis S. Benedicti, gratiam benignè extendendo concessit, ut in posterum à tota Congregatione utriusq; sexûs Casinensi militante sub regula dicti Sancti recitari possint Officia nonnullorum Sanctorum eiusdem Ordinis alias sub die 22. Septembris 1674. ad relationem Eminentissimi Bonæ recognita, & approbata pro Congregatione Vallisoletana in Hispania prædicti Ordinis (excepto tamen festo Translationis S. Benedicti ;) Nec non recitari possit Officium S. Gerardi Episcopi & Martyris, ex familiâ Ságreda Monachi præfati Ordinis sub die 20. Decembris, 1678. concessum, & approbatum pro Ciuitate Veneta. Hac die 24. Februarij, 1680.

Cæsar Card. Fachenettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congr. Secret.

DIE

DIE VIII. FEBRVARII.

S. IOANNIS de Matha Confessoris duplex.

In Hymn. Hac die.

ORATIO.

DEus qui per Sanctum Ioannem de Matha Ordinem Sanctissimæ TRINITATIS ad redimendum de potestate Saracenorum captiuos cælitus instituere dignatꝰ es; præsta quæsumus ut eius suffragantibus meritis à captiuitate corporis & animæ te adiuuante liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectio primi Noct. de script. occur. si autem venerit in Quadrag. Beatus vir. *de Conf. non Pontif.*

Lectio v.

JOannes de Matha Ordinis SSmæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Institutor Falcone in Prouincia natus est; Parentibus pietate & nobilitate cõspicuis: studiorũ causa Aquas sextias, mox Parisios profectus, confectoque Theologiæ curriculo, Magisterij lauream adeptus, doctrinæ & virtutum splendore enituit. Quibus motus Parisiensis Antistes ad Sacrũ Præsbyteratus ordinem præ humilitate reluctantem promouit, eo consilio, ut in ea Ciuitate commorans, sapientia & moribus studiosæ iuuentuti præluceret. Cum autem in Sacello eiusdem Episcopi, ipso cum alijs adstante primum Deo Sacrum offerret; cælesti fauore meruit recreari: Nam Angelus candida & fulgenti veste indutus; cui in pectore Crux rubei & cerulei coloris assuta erat, brachijs cancellatis & super duos captiuos ad latera positos; Christianum unum, alterum Maurum extẽsis apparuit. Qua visione in extasim raptꝰ, intellexit protinus vir Dei, se ad redimendos ab infidelibus captiuos destinari.

Lectio vj.

QVò verò maturius in re tanti momenti procederet in solitudinem secessit, ibiq; Diuino nutu factum est ut Felicem Valesium in ipsa Eremo iam multis annis degentem repererit, cum quo inita societate, se per triennium in oratione & contemplatione, omniumq; virtutũ studio exercuit. Contigit autem ut dum secum de rebus Diuinis propè fontem colloquerentur, Cervus ad eos accesse-

cesserit, Crucem inter cornua gerens rubei & cerulei coloris. Cumq; Felix ob rei nouitatem miraretur; narrauit ei Ioannes visionem, in prima Missa habitam, & exinde feruentius orationi incumbentes, iterum in somnijs admoniti, Romam proficisci decreuerunt, ut à Summo Pontifice noui Ordinis pro redimēdis captiuis institutionē impetrarent. Electus fuerat eo tempore Innocentius III. qui illis benignè acceptis, dum secum de re proposita deliberaret, in festo S. Agnetis secundò; Laterani intra Missarum solemnia ad Sacræ Hostiæ eleuationem, Angelus ei candida veste, cruce bicolori, specie redimentis captivos apparuit. Quo viso Pontifex institutionem approbauit: & novum Ordinem SSmæ Trinitatis Redemptionis captiuorum vocari iussit, eiusque Professoribus albas vestes cū Cruce rubei & cerulei coloris præbuit.

Lectio vij.

SIc stabilito ordine Sancti Fundatores in Galliam redierunt, primoque Cænobio Cerui frigidi in Diæcesi Meldensi extructo, ad eius Regimen Felix remansit, & Ioannes Romam cum aliquot socijs reuersus est, ubi Innocentius domum, Ecclesiam & hospitale S. Thomæ de Formis in Monte Cælio eis donauit; cum multis redditibus & possessionibus. Datis quoque literis ad Miramolimum Regem Marrochij opus redemptionis felici auspicio inhoatum fuit, Tum ad Hispanias sub iugo Sarracenorum magna ex parte oppressas Ioannes profectus est; Regumque, Principum, aliorumq; fidelium animos, ad captiuorum, & pauperum commiserationem commouit. Monasteria ædificauit, Hospitalia erexit, magnoq; lucro animarum, plures captiuos redemit.

Lectio viij.

ROmam tandem reuersus, sanctisq; operibus incumbens, assiduis laboribus attritus, & morbo confectus, ardentissimo Dei & proximi amore æstuans, ad extremum deuenit. Quare Fratribus cōuocatis, eisq; ad opus Redēptionis cælitus præmonstratum efficaciter cohortatis, obdormiuit in Domino Sexto decimo Kalendas Ianuarij,

xiij: anno salutis, Millesimo, ducentesimo, decimo tertio, eiusq; corpus in Ecclesia Sancti Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit. *Euang.* Sint lumbi vestri.

DIE XX. NOVEMBRIS.

S. FELICIS de Valois Confessoris, Ordinis SSmæ TRINITATIS Redemptionis Captiuorum Fundatoris, Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis. In Hymn. Hac die lætus meruit supremos.

ORATIO.

DEus qui B. Felicem Confessorem ex Eremo ad munus redimendi captiuos, cælitùs, vocare dignatus es; præsta quæsumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captiuitate, eius intercessione liberati ad cælestem Patriam perducamur. Per Dominum.

Lectio primi Noctur. de scripturis occur.

Lectio v.

FElix Hugo antea dictus, ex Regali Valesiorum Fimilia ortus in Gallia, ab ineunte ætate non leuia dedit futuræ sanctitatis indicia, præsertim misericordiæ erga pauperes; nam adhuc infantulus, manu propria acsi grãdior esset, & iudicij maturitate polleret, nummos egenis distribuit. Iam grandiusculus solebat ex appositis in mensa dapibus ad ipsos mittere, & fermè eo quod sapidius erat obsonio paupericulos pueros recreabat. Adolescens non semel vestibus se spoliauit, ut inopes cooperiret, Ab Auunculo Theobaldo Campaniæ & Blesij Comite vitam reo mortis impetrauit, prædicens hunc infamem hactenus sicarium, mox sanctissimis præditum moribus euasurum: veridicum testimonium monstrauit euentus.

Lectio vj.

POst exactam laudabiliter adolescentiam cœpit ex cælestis contemplationis studio solitudinem cogitare, prius tamen voluit sacris initiari, ut omnem Regni, à cuius successione, iure Legis Salicæ, non longè distabat, spem sibi præcideret. Sacerdos factus; & prima Missa deuotissimè celebrata; non multò post in Eremum secessit; ubi summa abstinentia victitans cælestiũ charismatum

tum abundantiâ pasceretur. Ibi cum S. Ioannne de Matha Parisiensi Doctore, à quo ex Diuina inspiratione quæsitus & inuentus per aliquot annos sanctissimè vixit, donec ambo per Angelum à Deo admoniti Romam petierunt specialem à Summo Pontifice viuendi Regulam impetraturi. Facta igitur Innocentio Papæ Tertio inter Missarum solemnia reuelatione, Religionis & instituti de redimendis captiuis, ab ipso Pontifice, simul cum Socio, candidis vestibus bicolori Cruce signatis induitur, ad eam formam, quâ Angelus indutus apparuit; & insuper voluit Pontifex, ut noua Religio iuxta triplicem colorē, quo habitus constat, Sanctissimæ Trinitatis titulo decoraretur.

Lectio vij.


REgula propria ex Summi Pontificis Innocentij confirmatione accepta, in Diœcesi Meldensi, apud locum qui ceruus frigidus dicitur primum Ordinis paulo ante à se, & Socio, extructum Cœnobium ampliauit; ubi Religiosam obseruantiam, & redemptionis institutum mirificè coluit, ac inde per alumnos in alias Prouincias diligentissimè propagauit.

Lectio viij.

ILlustrem hic à Beata Virgine fauorem accepit; dormientibus siquidem cunctis fratribus & ad matutinas preces in peruigilio Natiuitatis Deiparæ media nocte recitandas, Deo sic disponente non surgentibus. Felix de more vigilans, & horas præueniens, Chorum ingressus, reperit Beatam Virginem in medio Chori, habitu Cruce Ordinis insignito indutam, ac Cælitibus similiter indutis sociatam. Quibus permixtus Felix, præcinente Deipara; laudes Diuinas concinuit, ritèq; persoluit. Et quasi iam à terrestri ad Cælestem chorum euocaretur, instantis mortis ab Angelo certior factus, filios ad charitatem erga pauperes & captiuos, adhortans; animam Deo reddidit, ætate & meritis consumatus, anno post Christum natum ducentesimo duodecimo suprà Millesimum sub eodem Pontifice Innocentio Tertio.

Homil. in Euang. Nolite timere pusillus grex.

Z Warszawy


VARSAVIÆ,
Typis Collegij
Schol. Piarum,
An. Dñi 1692.

Oratio de S. Joanne de Deo

Deus qui Beatum Joannem tuo amore succensum inter flammas innoxium incedere fecisti, et per eum Ecclesiam tuam noua prole faecundasti: praesta ipsius suffragantibus meritis ut igne charitatis tuae vitia nostra curentur, et remedia nobis aeterna proueniant.
In 1mo. Noct. Lect. Beatus etc: in 2do. Sermo. In 3io Homil. S. Joannis Chrysostomi in Evang. Accesserunt ad Jesum Pharisaei etc. ut in Dca 17. post Pentecosten

In Festo Sancti ADAEBERTI Episcopi & Martyris

Ad Vesperas Antiphona.

Sancti tui Domine, cum reliquis de Commune Martyrum tempore Paschali. Psalmus Dixit Dominus cum reliquis de Dominica Capitulum. Stabunt justi. ℟. breve Lux perpetua. Hymnus in Utrisque Vesperis. O Martyr invictissime ! ℣. Sancti & justi.

Ad Magnificat Antiphona.

Magnificet te Domine, tuo redempta sanguine Christiana lætabunda plebs, annua Adalbeti votiva celebrans solemnia: cujus morte pretiosa, devota promit gaudia, ut per ejus suffragia tua impetret beneficia alleluja.

ORATIO.

Tuam nobis indulgentiam, qnæsumus Domine, Beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploret, ut & delicta nobis clamenter ignoscas, & beneficia desiderata concedas, Per Dominũ nostrum. Ad Matutinum Invitat Hymnus. Hymnis Canamus Martyrem Antiphonæ Psalmi, & omnia alia dicuntur de comm: Mart: tempore Paschal., exceptis his, quæ hic assignantur: In primo Nocturno Lectiones de communi unius Martyris. A Mileto Respon: Beatus vir &c.

In secundo Nocturno quæ etiam in festo Translationis ejusdem Sancti dicuntur.

Lectio V.

ADalbertus ! EpiscopusPragensis in Boëmia nobilissimis parentibus, SlaunicoLibicensi Comite, & Matre Strezyslava natus. Voitechus antea patrio sermone dictus fuit, ab Episcopo autem Magdeburgensi Adalberto, apud quem deinceps pie & honestissime educatos est, alterum nomen accepit. Postquam Ditmaro in Episcopatu Pragensi successit, eum Sanctissime in magna vitæ continentia, pietate, pauperumque cura gessit. Propter contumacis tamen populi gravia peccata deserere illum coactus, Sedẽ Apostolicam hac de re consulturus in Italiam se contulit. ℟. Lux perpetua.

Lectio VI.

PEregrinatione Jerosolymitana, quam inituerat inter-

termissa Romæ Leoni Abbati S. Bonifacii commendatur. Ibi cùm in Religiosa vita quinquennium exegisset, à Pragensibus pertæsis orbitatis denuo revocatur. Principis ipsius, & Archiepiscopi Moguntini nuntiis precibusq; exoratus Pontifex, redire Adalbertum ad suos jubet. Recipiunt læti reducem; non diu tamen illi obtemperat: sacras enim ædes invadunt, fontesq; qui ad illas confugerant, per vim ereptos interficiunt. Iterum illos deserit Adalbertus, animoq; ad convertendas gentes alias, & Martyrium destinato, ut Benedictionem tamen Sedis Apostolicæ obtineat, Romam revertitur. ℟. In servis.

Lectio VII.

DEnuo Pragenses & Moguntini Adalbertum repetunt Cumq; jussu Pontificis iterũ ad illos rediret, tres Fratres suos ab eis cæsos esse cognoscit. Pragensem ergo viam præclusam sibi, mentesq; illorum à se alienatas esse videns DEO gratiis actis convertendi gentes, quod Romanus Pontifex probaverat, institutum suum prosequitur, Hungariam cum Rege Geisa ejusq; filio Sancto Stephano in fide Christi confirmato; Poloniam vicinam, cognatamq; Bóëmis suis gentem, salutaribus præceptis copiosius instruit. ℟. Filiæ Jerusalem.

Lectio VIII.

POst triennium autem Radzino, fratræ in Archi Episcopatum Gnesnensem suffecto, ipse in Prussiam, idolis adhuc & dæmonibus servientem proficiscitur. Ibi dum religionem Christianam disseminaret, apud Fishausum, sinus Venedici oppidum, inter sacrificandum confossus, & in partes dissectus est. Corpus ejus à Boleslao Chrabro Principe Poloniæ postea redemptum, & in Tremesnense Monasterium prius, deinde Gnesnam Metropolim honorifice translatum est. ℟. Lætabitur justus.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio IX. Cap. 10. b.

IN illo tempore. Dixit JESUS Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam

animam suam dat pro ovibus suis Et reliqua.

HomiliaSancti Gregorii Papæ *Hom: 17 in Evangeli:*

EST aliquid fratres! quod me de vita pastoris vehementer affligit. Ad exteriora enim negotia delapsi sumus; aliud ex honore suscipimus, atq; aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen non virtûtis tenemus. Relinquunt namque Deum hi qui nobis commissi sunt, & tacemus: in pravis actionibus jacent, & correptionis manus non tendimus, quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus.

℟. Ego sum vitis vera, & vos palmites; Qui manet in me, & ego in eo hic fert fructũ multum alleluja, ℣. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qui manet.

Lectio X.

SEd quomodo nos vitam corrigere valemus alienã, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt, studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ, á cælesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo usu durus efficitur, per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent adharitatẽ Dei. Unde bené Sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

℟. Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluja: splendorẽ Deo dederunt, alleluja: Et sicut lac coagulati sunt, alleluja: ℣. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores Et sicut.

Lectio XI.

COnsiderate ergo, quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt: hi enim custodiam gregis suscipiunt qui insidiari gregi dominico non metuunt, contra quos greges Dei custodire debuerant. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus, humanã gloriam intenta mente captamus. ℟. O quam prædicanda & laudanda in Sancto Adalberto excellentia cælestis gratiæ radiat, cum & in ævo sit teneriore. Et in divino sacerdote, sa-

cto Martyre, Deo munus acceptabile, alleluja. ℣. Fit in puero oblatio, sacrificium in Praesule- holocaustum in martire. Et in divino.

Lectio XII,

ET quia eo ipso quo ceteris praelati sumus, ad agenda quaelibet majorem licentiam habemus, susceptae benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum, Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vocamus. Locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto, quod scriptū est: Et erit sicut populus, sic sacerdos ℟. Alme Praesul, & Beate Dei martyr Adalberte confer opem petentibus- tuis sanctis precibꝰ mala pelle bona posce. Praesta pacis incrementum confer vitae gaudia, alleluja ℣. Ut sub tuo protecti patrocinio, gloriemur in laude Dei perpetuo. Praesta pacis. Gloria Patri. Praesta. Te Deum laudamus.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem cap. 10. b.

IN illo tempore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sũ Pastor Bonus Bonus pastor animam suã dat pro ovibus suis Mercenariꝰ autem, et qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. & lupus rapit & dispergit oves, mercenarius autem fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eũ de ovibus. Ego sum Pastor bonus, cognosco oves meas & cognoscunt me meae. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovilli, & illas oportet me adducere & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unꝰ Pastor.

O R A T I O.

TUam Nobis indulgentiam quaesumus Domine, Beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploret, ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas, Per Dominum nostrum.

Antiphonae ad Laudes Sancti Tui Domine *Cum reliquis de Communi Martyrum tempore Paschali Hymnus ad Laudes.* O Chryste Robur. *ut supra.*

Ad Benedictus Antiphona.

Sacerdos DEI Adalberte Martyr & Pontifex Gloriose, intercede ad Dominum pro devotis famulis. Alleluia.

In secundis Vesperis Antiphona. Sancti tui Domine, *cum reliquis de communi Martyrum tempore Paschali &c.*

Ad Magnificat Antiphona.

Per merita Sancti Adalberti Christe nos exaudi; atque ejus precibus nobis succurre miseris. Alleluja.

Eodem de S. Georgii *Martyris de sermone* S. Laurentii *Patriarchae Venetiarum.*

LECTIO V.

Die xiv. Octobris

IN FESTO
S. CALLISTI
PAPAE, ET MART.

Dupl. min.

LECTIONES II. NOCTURNI

Lectio IV.

Callistus Romanus præfuit Ecclesiæ Antonio Eliogabalo Imperatore. Costituit quatuor anni tempora: quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. Aedificavit Basilicam Sanctæ Mariæ Transtiberim, et in via Appia vetus cœmeterium, in quo multi sancti Sacerdotes, et Martyres sepulti sunt, unde ab eo Callisti cœmeterium appellatur.

Lectio V.

Ejusdem pietatis fuit, quod beati Calepodii presbyteri et martyris corpus jactatum in tiberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepellivit.

vit. Palmatium Consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem, et Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi Privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum Christo adjunxit: pro quo idem, recens adhuc a fide suscepta, plumbatis usque ad mortem cæsus occubuit.

Lectio VI.

Sedit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque, mense Decembri, creavit Prebyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem crebrasque verberationes præceps jactus in puteum, atque ita Martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in coemeterium Calepodii via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Jdus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam Sanctæ Mariæ Transtiberim, ab ipso ædificatam, delatum, sub ara majori, maxima veneratione colitur.

Lectiones III. Nocturni ut in Breviario dicta die.

DECRETUM.

URBIS, ET ORBIS

Cum Emus et Rmus C. Card. Despuig Titularis Ecclesiæ S. Callisti, nomine etiam Emi et Rmi D. Card. Pignatelli Titularis Ecclesiæ S. Mariæ Transtiberim, in qua requiescit corpus ejusdem S. Callisti ipsius Basilicæ Fundatoris, necnon nomine Capituli, et Canonicorum memoratæ Basilicæ enixis precibus SSmo Dno Nostro PIO VII. Pont. Max. supplicaverit pro elevatione ritus in universa Ecclesia Catholica Officii prælaudati S. Callisti Papæ et Martyris a semidupl. ad ritum dupl.: Beatissimus Pater jam a tempore quo inter S. Rom. Ecclesiæ Cardinales recensebatur, ac prædictæ Ecclesiæ S. Callisti Titulum obtinebat peculiari devotionis sensu erga memoriam tanti Pontificis, qui Ecclesiam Dei sanctissimis institutionibus communivit semper affectus, referente R. P. D. Hieronymo Napulionio Fidei Promotore, libenter annuit pro gratia, ac Officium sæpedicti S. Callisti in toto Orbe Catholico a ritu semiduplicis ad ritum duplicis minoris elevavit, illudque cum suprascriptis Lectionibus secundi Nocturni propriis, quibus utitur Sacrosancta Ecclesia Lateranensis in posterum recitandum esse præcepit. Die 2 Septembris 1808

A. Card. Matthæjus

Loco † Sigilli

J. de Carpineo S.R.C. Secret.

ROMAE Typis Rev. Cam. Apost. 1808.

In Supplementum Officii de Smo Sepulchro Christi Domini, quando illud ex propria Dominica motum, cum novem letionibus propriis, ut in anno 1829. occurrit recitandum.

Lectio IX.

Petrus igitur videns Resurrectionem, quam Dei Filius prœnuntiaverat, completam; qui solicitus venerat securus abscessit. MARIA tamen resurrectionis ignara, non cessat lachrymas fundere, nesciens hanc esse Dominici Corporis gloriam, quam putabat injuriam. Cujus inanes moerores Angelus magis prohibet quam consolatur, ut Evangelista testatur. Maria inquit, quid ploras? si spiritali prudentia intentionem Divini sermonis intelligas, lachrymarum causam non tanquam ignarus interrogat, sed importunos Fletus dolentis objurgat. Maria inquit, quid ploras? cum vacuo monumento, non damno funeris, sed merito resurgentis Iesu Christi corpus, virtus tibi non facinus vendicasset; culpat eodem tempore a Maria lachrymas fundi, quo debuit gloriari. Quid ploras, aut quem quæris? Angelus instruit nescientem sano consilio, ne viventem quæreret in sepulchro. Tu autem Dne etc.

